



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciones Sive Conceptvs Theologici, De Praecipvis Omnivm Sanctorum Festiuitatibus, ab omnium Sanctorum Festo ad Pascha vsque occurentibus**

**Besse, Pierre de**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

In festo omnium Sanctorum. De mercede bonorum operum, De beatitudine, & ad eam viis agitur, De voluntaria paupertate, benignitate, patientia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54700](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54700)



## IN FESTO OMNIUM SANCTORVM.

*Gaudete & exultate, quia merces vestra copiosa est in cœ-  
lis. Matth. 5.*

FIGVRA.

**C**VM fortissimus ille Hebræorum Princeps *2. Reg. 5.*  
David arcem Sion, arte & natura inter cete-  
ras Israelis arces munitissimam, numerosa  
militum corona circumquatq; cinxisset, & Iebuzæi,  
qui eidem inclusi oppugnabantur, acriter & stre-  
nue sese defenderent; vt Principes Iuda & fortis-  
simos Israel ad fortiter agendum ipsiusq; arcis ex-  
pugnationem maturandam incitaret, præmium,  
acre ad victoriam & triumphum calcar, omnibus  
fortiter agentibus, ac summos honores, veros vir-  
tutis & fortitudinis stimulos, proposuit. Equidem  
cum egregium hocce Davidis facinus animo re-  
noluo accuratius, in eo ad oculum expressum vi-  
dere videor, quod Deum inter & hominẽ, quo-  
ad cœlorum expugnationem quotidie transigi-  
tur. Deus quippe, Dominus ille dominantium, ac  
totius vniuersi Imperator, vt nobis in obsidio ar-  
cis illius validissimæ, totius inquam mundi valli  
ac velut armamentarij, sed arcis, quæ non nisi à  
violentis & à strenue pugnantibus, teste Euange-  
lista, expugnatur, quæq; vndiq; à Diabolis, tarta-  
reis illis Iebuzæis, aditum quoquo modo prohi-  
bentibus, propugnatur, vt nobis inquam omni-  
bus, qui naturâ milites eius sumus, atq; inter vni-  
uersas creaturas nobilissimi; animum adderet,  
quo fortiter & generose nos gereremus, & ad arcis  
*De S S. tom. 1.*                      A                      huius

## 2 IN FESTO OMNIVM SANCTOR.

huius expugnationem accingeremur; Christiani  
 nominis honorem ac dignitatem, qua ad agendum  
 & ferendum fortia nos potissimum incitari potest,  
 est, Sanctorum item omnium exemplum, eorumque  
 gloriam & felicitatem, qua in cœlestibus habita-  
 culis perfruuntur, hodie nobis velut rei præclare  
 gestæ præmium, ob oculos ponit, ac certantibus  
 demonstrat. O præmium valoris & pretij infiniti.  
 ô mercedem incredibilem! Sed ô diem vere ad-  
 mirabilem, in quo tot victorum ac triumphantium  
 solennis agitur memoria! diem, inquam, omnium  
 dierum ac solennitatum principem, in quo omnes  
 nobis sancti, vno simul tempore spectandi, propo-  
 nuntur! O diem iucundum ac festiuum, qui eodē  
 modulamine eademque voce, Angelorum felicitatem,  
 Patriarcharum fidem, Prophetarum zelum,  
 Apostolorum miracula, Martyrum tolerantiam,  
 Confessorum virtutes, Doctorum merita, Virgi-  
 num castitatem, omniumque denique Beatorum ac  
 cœlestium triumphos victoriasque decantat. Po-  
 stremo diem sanctum, omnium nobis Sanctorum  
 festiuitates sub vna celebritate representantem!  
 diem adhuc festum, omnia simul anni festa in se  
 complectentem; diem qui non nisi coronas, ferta,  
 aureolas, gloriam, beatitudinem, mercedem de-  
 niq; continebit. Quæ omnia vt pro dignitate vobis  
 exponere queam Auditores, Paracliti spiritus au-  
 xiliū in primis inuocandum est, eiusque benedictio  
 & gratia enixius postulanda? gloriosa deinde cœli  
 Regina, ac Sanctorum omnium Sancta ac Domina,  
 Maria, veluti Patrona & Mediatrix adhibenda:  
 quam obrē vnanimes communi eam prece, Ange-  
 lica nempe salutatione, compellemus. *Aue Maria.*

Cum pleraque fidei Christianæ mysteria sacris  
 nobis literis tradita, & diuinis testimonijs confi-  
 gnata

gnata sint Auditores, tū nullum in iisdem litteris aut notius, aut magis stabilitum est, quā iustorum pieq; viuentium merces, & amplissima bonorum operum hic olim factorum in coelesti habitaculo remuneratio. Sexcenta utroq; è Testamento quibus id effici queat, producere queā testimonia, vt in primis illa Apostoli verba: *Qui reddet vnicuique secundum opera sua.* & , *Apud Dominum est merces eorum*, multis ante sæculis scripserat Sapiens; vt & alibi: *Reddes iustis mercedem laborum suorum.* Hieremias vero, *Erit merces operi tuo*, aliaque & numero infinita & auctoritate prægnantia. Sed non postremum mihi inter cætera vindicare locum videtur quod in Proverbijs legimus, *Impius facit opus instabile, seruanti autem iustitiam, merces fidelis.*

Vbi notare vos velim Christiani, Spiritum Sanctum hæc verba, *Merces fidelis*, non in cassum aut sine ratione adhibuisse: sed vt hinc omnes euidenter colligerent, Deum esse iustissimum, nec quemquam velle fallere, neu in laboribus, ærumnis, aduersitatibusq; eius nomine toleratis, remunerandis vniquam deesse. Neque enim perfidum illum Laban imitatur, de quo fidelis ille gener Iacob apud vxores suas conquestus est dicens; *Et ipse nostis, quod totis viribus meis seruijerim patri vestro; sed & pater vester circumuenit me, & mutauit mercedem meam decem vicibus.* Non est mihi credite, eius naturæ Deus noster, sed è contra *fidelis omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis*: tam nimirum fidelis in promittendo, quam largus & profusus in elargiendo.

Crudelis ille Ægyptiorū Rex Pharaon ingentem reuera ingratitude, crudelitatemq; erga Hebræos qui in Ægypto captiui grauissimo seruitutis iugo premebantur, ostendit; nā eos postquā grauius

Bonorum operum merces in factis litteris euidenter demonstratur.

Rom. 2.  
Sap. 5.  
Sap. 10.  
Ierem. 31.

Prou. 11.

Gen. 31.

Deus promissus fidelis est, Psal. 147.

Exod. 3.  
& 5.

4 IN FESTO OMNIUM SANCTOR.

uibus ac duris per totum diem laboribus exhausti  
 erant, circa vesperam, perfoluto penso, à præfectorum  
 operum flagellari adhuc iubebat. Non est haec  
 summi illius Dei qui naturâ vniuersi Dominus  
 est, quiq; iustitiam diligit, agendi ratio, sed exactis-  
 sime & perfectissime quicquid ei vnquâ obsequi  
 impensum est, agnoscit, ac vel minimam eius no-  
 mine susceptam molestiam & difficultatem ini-  
 nita mercede & præmio compensat. Docet nos pa-  
 rabola illa de operarijs in vinea, quibus cū vesper-  
 iam aduenisset aduocatis mercedem ex con-  
 tracto persolui iussit.

*Matt. 20.* Magnâ haud dubie tribunus ille Amalecitarum,  
 de quo in libris Regū, erga seruum suū inhumani-  
 tatem declarauit, quando, visa eiusdem inualenti-  
 dine, sine vilo eū commiserationis affectu, sine vilo  
 obsequiorū, quæ Domino fideliter aliquādo præ-  
 stiterat, aut vilo discriminū, quæ toties eius nomi-  
 ne subierat, intuitu, ægrotantē in agris deseruit, &  
 omni destitutū auxilio, hostibus licet tergo iam iam  
 imminentibus, dereliquit. Audiamus obsecro, vt

*1. Reg. 30.* suū ipse miles casum deplorat; *Puer Aegyptius* *pro*  
*seruus viri Amalecitis: dereliquit autē me Dominus meus,*  
*qui egrotare cepi nudiustertius. O iniquam crudelita-*  
*tem, & crudelem iniquitatem! summus ille exer-*  
*cituum Deus hunc agendi modū ignorat, nec quē-*  
*quā ex omnibus omnino mortalibus reperire da-*  
*bitur, quē ille sub signis suis militantē vnquā de-*  
*seruerit, aut quē strenue laborantem post vitæ hu-*  
*ius diē peractum, non persoluta mercede, eaq; am-*  
*plissima, domū dimiserit. Testem huiusce rei ha-*  
*beo Dauidem Regem, qui ait, Junior sui, etenim serui*  
*& non vidi iustum & fidelem militē à Deo duce suo*  
*derelictum, nec semen eius quærens panem.*

Dicere vult, Deū, non sine præclaro ingentis æ-  
 quitatis

quitatis testimonio, omnia quã iustissime remunerari, & magna liberalitate vicissim præmia sua & dona in eos refundere, qui sincere & ex animo eius voluntati morem gesserint, eiusq; legem ex tota mente & corde perfecto obseruarint.

Et sane omnia Prophetarum oracula certissime hoc & magno consensu tradiderunt; quin & ipse Sapiens, hinc occasione arrepta, Dominum commonefacit, vt fidem seruet, promissis stet, liberalitatis ac munificentiæ thesauros referet, ne ipsa Prophetarum miracula alicuius forte mendacij coarquantur: *Da mercedem, inquit, fastinentibus te, vt Propheta tui fideles inueniantur*; qui nempe toties iustitiam tuam depreðicarunt, teq; equissimum ac largissimum in dando descripserunt.

Omnes Prophetæ bonis operibus mercedē assignarunt. *Eccles. 36.*

Vterius quin etiam progressus est Apostolus Paulus, qui Hebræos docet, Deum si dignã bona opera mercede non compensaret, iniustitiæ culpandum; dicens, *Non est iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri*, perinde ac si dicere vellet, fidele fidei Deo obsequium exhibete; eiusq; præceptis pro virili satisfacere contendite, legem eius seruate, præsertim cum certum sit & indubitatum, eum haud esse iniustum, aut bonorum vestrorum operum obliuisci, perpetuo eadem memoriæ insculpta gerere. Ita vt idem Apostolus de se ipso loquens ad Timotheum, scribere non erubuerit, *Bonum certamen certavi, cursum consummaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus iustus Iudex*, vbi notare vos velim, vt operum nostrorum remunerationem *coronam iustitiæ* appellare non dubitarit.

Iniustus Deus au- dret, si bonis o- peribus mercedē denega- ret. *Hebr. 1.* *2. Tim. 4.*

Sed, hē! vtriusq; Iuris Doctor Paule, quanti iustitiã hanc facis? vnde quæso hanc conclusionem Theologicã depromis? q; obsecro homo, etiã præ-

- Luc. 17.* stitis omnibus, quæ & voluerit, & potuerit, coram Deo promeretur? An ignoras in Euangelio à veritate dictū esse, *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis dicite: Serui inutiles sumus, quæ debuimus facere, fecimus.* Apostolus autem vt quid innuere vellet, melius intelligendum daret, Scholasticis Doctoribus ansam dedit, meritū in duo genera distinguendi: vnū namq; meriti genus est, q̄ de condigno, alterum quod de congruo appellarunt. adeo vt opera omnia ex cōdigno pure simpliciter, & in se se considerata nihil omnino mereantur, nullaq; remuneratione digna cēsenda sint: ita quippe Paulus ad Romanos ait: *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Verum opera nostra de congruo, præter id quod plurimis alijs promissionib. quas ipse Deus nobis pollicitus est, innitantur; (vt in primis verbis illis S. Scripturæ, *Erit merces operi tuo.*) in quo ita nobiscum conuenit, quemadmodū ex verbis illis parabola: Euangelicæ. *Numquid ex denario conuenisti mecū,* colligitur; vt seipsum etiam ad mercedem reddendam obligarit, quæ si bene attendantur, ingentem sine dubio remunerationem consequentur: *dignus est enim operarius mercede sua.* Ita vt non mediocri in Deo inuitiæ signum foret, mercedem eorum frustrari, ac remunerationem, non impediētib. tot promissis, contractibus, conuentis, obligationibus, pactis quæ pro eadē faciunt, fallere, vt taceamus hic interim, q̄ ipsis Iesu Christi meritis, quæ infinita sunt, innitantur, quæ iisdē robur & vires subministrāt.
- Statim vt Elizæus Propheta salem in aquas le-richuntis, quæ natura insipidæ erant & amariore, coniecit, subito mutatae sunt, & ex amaris potui suaves, ex sterilibus fertiles, atq; ex virulentis salubres redditæ. Certum porro est, aquarum nomine

in scripturis Sanctis hominum opera designari. Ita ut dicere liceat, opera nostra instar aquarum infidarum esse, origine & scaturigine foetentium, ac meritis steriliū: verum si Christi passionis sal in easdem coniiciatur, dulces eas reddi, alium saporem induere, Deo, hominibusq; gratissimas reddi, indeq; merito fecundari.

Cum Angelus ille exterminator omnes Ægyptiorū primogenitos interficeret, ijs solum domibus pepercit, quarū postes ac superliminaria agni Paschalis sanguine cruētata cernebat, cæteris omnibus interneccione deletis. Est hoc veluti quoddā præfagiū, Christiani, omnia nostra, quæ in mundi huius Ægypto opera edimus, sine sanguine ac cruenta Domini Saluatoris passione emortua, & ex sanguine quodāmodo esse, atq; omnis prorsus meriti expertia: sed si eadem Agni illius immaculati cruore tingantur, vitam nobis æternā & immortalē largiri, prout ad Romanos testatur Apostolus: *Qui reddet vnicuiq; secundum opera eius: ijs quidem Rom. 2. qui secundum patientiam boni operis gloriam & honorem, & incorruptionem querunt, vitam æternam.*

Omnes quoq; olim neci eripiebantur, quorum *Ezech. 2.* frontes signo Tau, velut stigmate quodam iniustæ cōspiciebantur, cum qui eodē carerent signo, vindice gladio interimerentur. Hinc colligo, omnia quæ à nobis hic bona sunt opera, quæ signo crucis, cuius Hieroglyphicū Hebraicum Tau erat, signata non sunt, ad tantū sigillo & nota naturæ nostræ, morti esse destinata, neu vitā ac salutē promereri posse; è cōtra vero, quæ regiā hanc epigraphen frōti insculptā gerunt, ab omni esse prorsus discrimine secura, vitamq; semper duraturam mereri.

Ipsa Moysis manū, si nudata ac sine velamine vi- *Exod. 4.* debatur, leprā præferebat, sed vestibis cooperta,



8 IN FESTO OMNIUM SANCTOR.

& ad sinū iussa referri, ab omni prorsus lepræ macula libera erat, & integerrima. Scitum est in sacris voluminibus, manus operū ipforū figurā ac symbolū esse, adeo vt, si actiones nostræ nudæ penitus & in sua ipsa natura, extraq; gratiam constituta conspiciantur, nihil aliud præter leprā quamdam teterrimā, meras sordes & colluiem esse videantur; at si eadē in sacratissimæ Passionis sinū ingerantur, ac pretiosis meritorum Iesu Christi vestibus circumuestiantur, mundissimæ coram diuinæ maiestatis oculis, ac pulcherrimè compareant.

*Num. 21.*

Aeneus ille serpens, quādiu humi iacebat, Israelitas veneno ac tabo quodammodo inficiebat, & conspicientibus horrorem incutiebat, sed in altū stipitē, in deserto Sinai, sublatus, intuentibus vitā ac sanitatem conferebat, prodigia operabatur, & percussos à serpentibus cæteris omni prorsus contagione liberabat. Hic rursus docemur opera nostra cū in naturā suā terra conspiciuntur, virulenta esse & contagiosa & diuinæ maiestatis oculis ingratisima; sed in deserto Caluarie in arborem crucis Dominicæ sublata, virtutes admirabiles operari, ac merita superexcellens producere.

*4. Reg. 5.*

Princeps ille Syrus Naaman licet opib<sup>9</sup> ac diuitijs afflueret, lepra tamen turpissima toto corpore coopertus erat; hinc factum est, vt nullum durante lepra Propheta Elizaus ab eo munus vel minimum recipere voluerit, sed quā primum vt Iordanis se se aquis, abluit, & lepra abiit, at caro eius sicut caro pueri paruuli restituta est, suā ei ipse Propheta nō rogatus benedictionē impertijt, munera q; eidē obtulit. Hic iterū demonstratur, hominem, qui in mundi huius aula instar reguli cuiusdā, dominatur, si in natura spectatus, insignia quædam pretiosa ac p̄clara opera edit, lepra tamen turpissima esse

esse coopertum: Vnde bene apud Prophetam legi- *Isa. 64.*  
*mus, Et facti sumus vt immundus omnes nos, & quasi*  
*pannus menstruata vniuersæ iustitiæ nostræ.* atq; eadem  
 opera, quamquam propter vitam æternam pro-  
 merendam eidem offeratur, grata neutiquam ex-  
 istere, at si eadem semel rubicundis ac limpidis sa-  
 cri Jordanis, id est, Dominicæ passionis aquis im-  
 mergi contigerit, venustatem quandam & noui  
 splendoris imaginem assumptura, adeo vt gratif-  
 sima ac iucundissima ei futura sint, atq; ipse Deus  
 è contra leproso huic benedictionum suarum &  
 gratiarum cœlestium thesaurum quam amplissi-  
 mereferaturus. Desuntne igitur nobis figuræ, &  
 bonis operibus merita?

Nam quemadmodum globi, quibus balistæ ac *Simile.*  
 tormēta bellica infarciuntur, pondere suo graues  
 sunt, & nonnisi magno labore & contentione in  
 altum librari queunt; si vero tormenti angustijs  
 atq; orificio, igne nimirum & puluere tormenta-  
 rio accedentibus, egrediantur, horrendi cuiusdam  
 fulminis in morem per aëra librarunt, ac muros,  
 valla validissima concutiunt ac perfringunt. Non  
 secus quoq; opera nostra, quæ velut pilæ quædam  
 bellicæ sunt: adeo namq; ea naturâ suâ graua &  
 ponderosa sunt, vt semper ad terram trahantur,  
 nulla vero ratione in altum, ad æternam beatitu-  
 dinem acquirēdam sustolli valeant: Si eadem cor-  
 de cuiuspiam caritatis incendio succensî, gratiaq;  
 onerati, velut orificio tormenti, egredi contigerit,  
 mirum, vt in altum sustollantur, adeo vt ad vsque  
 cœleste domicilium volitent, vitæq; æternæ repa-  
 gula quodammodo perfringant.

Aegyptiorum aurum & argentum, atq; omnes *Exo. 36. 37.*  
 eorum opes nulli alij rei, quam sacrificijs idolorū  
 destinatae erant, sed statim eadē Hebræis cessere,

in sacros easdem usus conflagrant, atque in primis in tabernaculum, quod auro mundissimo intus & foris coopertum fuit. Opera nostra, Christiani, velut opes Ægyptiorum sunt, quæ si in seipsis considerentur, meræ sordes sunt, & idololatrica superstitione sordata, atque ante oculos Dei velut immunditiæ sordescunt, sed statim ut charitatis fornax ac diuini amoris incendium eadem excoquit ac sublimat, pulcherrimum quoddam æternæ gloriæ tabernaculum constituunt, luculentamque mercedem promerentur. Docet hoc ipsum nos hodiernæ festiuitatis Euangelium, quod ab Ecclesia inter reliqua omnia hodie institutum est, ut præmia & remunerationem laborum, arumnarumque quas Sancti hoc in mundo iam olim subierunt, nobis in mentem reuocaret, nosque ad eorum imitationem potissimum accenderet, dicens, *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Ut porro apte & methodice verba hæc valeam exponere, primo mercedis ipsius magnitudinem, ac deinde media, quibus ad eandem peruenitur, explicabo: ac duobus hisce punctis totam concionis meæ sensum, atque omnem Sanctorum triumphum animarumque beatarum gloriam circumscribam.

*Matth. 5.  
Luc. 6.*

**Quid sit beatitudo.** Principio igitur ipsa beatitudo ac cælestis gloria, Electorum inquam merces, quæ Sancti omnes quorum hodie festiuitatem celebramus, in remunerationem acceperunt, adeo sublimis, augusta & magna est, ut eam aliquatenus quidem admirari, verbis autem consequi, aut pro dignitate explicare nullus queat: quippe quæ nec sensu cognosci, nec ratione percipi, neue ipsa potest cogitatione comprehendi. Testem hic habeo Apostolum Paulum, qui post raptum in tertium cælum ad se reuersus, eiusdem magnitudinem demiratus exclamat. *Nec oculus vidit,*

*1. Cor. 2.*

vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ  
 preparauit Deus diligentibus se.

Cyprianus, magnum illud Africæ fidus, & Car- *Epist. 58.*  
 thaginensis Episcopus, qui sub Valeriano Imper.  
 Martyrio coronatus est, atque anno post Christi  
 natiuitatem ducentesimo quinquagesimo in Ec-  
 clesia floruit, cum beatitudinis huius mentio in-  
 cidisset, hoc iam elogio deprædicat: *Quæ erit gloria* *1. Cor.*  
*& quanta letitia admitti, vt Deum videas, honorari, vt*  
*cum Christo Domino Deo tuo salutis ac lucis æternæ gau-*  
*dium capias? Abraham, & Isaac, & Iacob, & Patriarchas*  
*omnes, & Prophetas, & Apostolos, & Martyres salutare?*  
*cum iustis ac Dei amicis in regno cælorum datæ immor-*  
*talitatis voluptate gaudere, sumere illic quod nec oculus*  
*vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit? Qui-*  
 bus verbis insinuare vult, nihil esse omnino aut  
 reperiri, quod cum sempiterna hac felicitate, quæ  
 Electorum omnium & cœlitum merces est, sit  
 comparandum.

Angelicus ille Doctor Thomas, Theologorū o- *1. Par. q. 25.*  
 mnium Coryphæus ac Princeps, Sorbonæ nostræ *art. 6. ad 4.*  
 Phænix, cū quæreret, Nū Deus opt. Max. ea quæ o-  
 lim condidit meliora iam reddere queat & perfe-  
 ctiora, q̄ in ipso rerum primordio condita erant,  
 tandē hoc modo concludit, Omnipotentem hunc  
 artificē posse quidem eorum aliqua iam perficere,  
 atque emendatiora reddere; esse tamen quædam  
 tanta p̄fectione & artificio ab eo condita, atq; ita  
 numeris omnib. absoluta, vt summus ille naturæ  
 opifex nihil perfectius aut absolutius cōdere vale-  
 ret. Atq; horum in numero ponendam esse gloriā  
 & beatitudinem Cœlestium, quæ tantæ nimirum  
 magnitudinis est, nihil vt maius fieri, aut mēte cō-  
 prehēdi queat. Et firmissimo quidē ipse nititur fū-  
 damēto. Cum n. omnis, vt ait, sanctorū beatitudo  
 & mer-

& merces ipse fit Deus, & Deus nihil se ipso maius aut perfectius possit efingere, sequitur hinc etiam Deum nihil aut meli<sup>9</sup> aut diuinius, tum nec quidquam præstantius, Electorum gloria ac Beatorum gaudio posse efficere.

Beatitudo  
definitur.

Christianus ille Sophus Torquatus Boëtius cum suum huc etiã symbolum conferre vellet, optime mihi rem visus est tetigisse, ita namq; eandem definit: *Beatitudo est status omnium bonorum aggregatone perfectus.* Cum ait *omnium*, generalitatem quandam includit. si enim vel vnum, quamuis minimum desit, omnis eiusdem perfectio concidat necesse est, ac fœlix ille status, qui non nisi perfectione absoluta constat, si vel minimum quid defuerit, consistere non valebit.

Quod summus ille Metaphysicus terminis Philosophicis declarauit, Deus ipse Theologicis, multis ante sæculis exposuit, quando nimirum Moyse loquens omnis ei boni visionẽ, ac perfectam omnis voluptatis fruitionẽ, in remunerationẽ & beatitudinem daturũ se pollicitus est, dicens, *Ostendam tibi omne bonũ.* quasi diceret, Noli animum contrahere Moses, aut diuersitatib. ærumnisq; nimium quantũ deijci. Nam tametsi labores tui & molestiẽ quas sustines, graues sint & permolestẽ, merces tua tamen multo, mihi crede, maior erit. Videbunt quippe oculi tui, quod hætenus minime viderũt, ostendã quippe eis omne quod bonum est, & quidquid summũ ad bonũ referri potest. Non enim vidisti in mundi huius officina, nisi vmbriticã quãdam boni imaginẽ, sed ipse te deducam in officinam, in qua omnia bonorũ genera recondita sint. Illic videbis corpora gloriosa, nõ qualia videre olim Danieli & Ioannes in Reuelationibus, quæ fulguris aut solis instar resplendebãt, sed quæ translu-

Exod. 33.

Dan. 10.

Apoc. 1.

ccant,

ceant, ac non nisi lumen sint & splendor, immorta- *Exod. 25.*  
 lia adhæc & pati nescia. Videbis illic Cherubinos, *Isai. 6.*  
 non quidem in ænigmate, vti in propitiatorio ap-  
 parebant, & Seraphinos, non quales Isaias vidit,  
 admirabili nimirū schemate, pennis circumuesti-  
 tos, alatos, sed vt spirit⁹ purissimos, subtilissimos,  
 & substantias ab omni prorsus materia secretas.  
 Videbis Angelos, nō iam in figura & velamine hu-  
 manamq; formam indutos, vt eos vidēre Abrahā,  
 Loth, Iacob, alijq; veteris testamenti Patriarchæ, *Gen. 19. 22.*  
 sed ad viuum, prout sunt, sine corpore, non iam fi- *28.*  
 guratos, non iam occupantes locū, sed omni prorsus  
 dimensione quantitatis carentes. Me ipsum de- *Exod. 3.*  
 niq; videbis, qualis sum è natura, non iam in rubo  
 ardenti, vt in deserto Sinai olim visus sum; non in  
 specie turbinis, sicut tempore Eliæ apparui, sed fa- *3. Reg. 18.*  
 cie ad faciem, & in propria natura: meq; ipsum cū  
 videas, omne simul bonum videbis; & me ipsum  
 cum tibi ostendam, *ostendam tibi omne bonum.* *Exod. 33.*

O sublimem Theologiam! sed penitius mihi ea-  
 dem examinanda est, eiusq; promissi geminus sen-  
 sus inuestigandus, qui hic esse viderar: Ostendam  
 tibi quidquid honestum est, quidquid vtile, quid-  
 quid iucundum est. Infernus enim omne malum  
 ostendit, mundus autem bonū malo permixtum,  
 at in cœlo non nisi omne bonum tibi ostendam.  
 Exploratores quidem quos Iosue olim emisit, v- *Num. 13.*  
 uas & botros terræ Chanaan in castris, velut eui-  
 dens fertilitatis eiusdem specimen ostenderunt;  
 Ezechias Rex legatis Babylonij diuitias & the- *4. Reg. 20.*  
 sauros suos, Assuerus Satrapis & Principib. regni  
 sui magnificentiam & splendorem; Satanas Chri- *Esth. 1.*  
 sto omnia mundi regna ac gloriam eorum; ast ipse *Matth. 4.*  
 maius, quid & excellentius tibi demonstrabo, o-  
 stendam tibi scilicet omne bonum.

Quod-

Quodnam vestrum de hac propositione iudicium est? Philosophi? quid inde effici putatis? quid inde concluditis? scilicet Deum, cum verbis & respicitur Moysi, & post eum omnibus omnino fidelibus promittit, ostensurum se illis, idque in laborum ac molestiarum remunerationem, *omne bonum*, eadem quoque operam promittere, ostensurum se illis *omne ens*, & consequenter quoque *Omne verum*. Ens enim, Bonum & verum ad se inuicem reciproca sunt, & à se mutuo disiungi nequeunt, & ut Metaphysici loquuntur, conuertuntur. Adeo ut ipsa felicitas & gloria Beatorum sit, ipsius Boni, Veri & Entis visio, & in his tribus virtutis ipsius merces atque actionum nostrarum honorarium consistat.

Mundus  
inops est  
& vanitatibus  
plenus.

Ostendit quidem mundus ipse Ens aliquod, sed transitorium & labile, ac non nisi per transennam aliquod quidem bonum, sed fucatum & fallax; aliquod quidem Verum, sed falsum & tantum specie tenuis. Quid enim ipse aliud est, quam vilis quidam veteramentarius ac scrutarius, qui non nisi decem categorias habet, velut indicem omnium operum suarum vaser quidam mango est, cuius omnes merces vitium continent, & fucum olent; falsarius est & impostor, qui inani quadam rerum imagine nos ludit, & mendacis aures & oculos hominum opplet. Unde Rex ille David fraudes eiusdem detegens & versutias, omnes omnino mortales alloquitur, sibi ut caueant, & mundanorum auribus eiusdem rethoras instillat dicens, *Filij hominum, ut quid diligitis vanitatem, & queritis mendacium?* ut quid cælum & cælestia negligitis, ubi tamen *Omne ens*, *Omne bonum*, & *Omne verum* Beatorum animabus ostendit Deus? ò præmiū inæstimabile? Quamobrem gaudete animæ, quæ in hoc mundo poenitentiam agitis, atque omnem vitam vestram summi illius Principis obse-

*Psal. 4.*

obsequijs impenditis, *gaudete inquam, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelo.* Matth 5.  
Luc. 6.

Copiosa inquam, ac tanta, vt omnes Sancti Patres luculentum de ea testimonium perhibuerint, quorum omnium verba, vt ex ijs quanti eandem fecerint, colligatis, in medium proferam. Primus in scenam prodeat Basilius, Cæsareæ Cappadociæ Episcopus, Magni illius Gregorij, cognomento Theologi, discipulus, Arianorum terror, atq; omnium Græcorum, meo quidem iudicio & doctissimus & eloquentissimus, qui circa annū Dom. CCCLXX. floruit. hic cum plurib. cœlestem hanc gloriā verbis assertum iuisset, eiusdemq; felicitatem dignissimis encomijs deprædicasset, tandem concludens ait. *Ibi Angelorum millia, primorum parentum conuentus, Apostolorum sedes, tribunalia Prophetarum, Patriarcharum sceptrā, Martyrum coronā, Iustorum laudes cumulatissime spectabuntur.* Exhort. ad  
Baptismū.

Quinquaginta deinde interiectis annis post hunc Orientis solem, nouum in Africa effulgens iubar Augustinus, verbis tum grauib. tum egregijs hanc Sanctorum beatitudinem cumulatissime descripsit: *Quanta erit illa felicitas, vbi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus?* Lib. 22. de  
ciuit. Dei,  
cap. 30.

Prosper Aquitanicus (qui post quinquaginta & quod excurrit, annos, Augustinum excepit, quiq; anno potissimum CCCCLX. & vitæ sanctitate & doctrina in Ecclesia viguit, quam proxime quoq; eum inscribendo secutus est) cum animā contemplatiuam ad cœlestis gloriæ Bëatorum felicitatis considerationem incitaret: his eam verbis allocutus est: *Futura vita creditur beate sempiterna, sempiternæ beata: vbi est certa securitas: & securā tranquillitas, & tranquilla iucunditas, felix æternitas, æterna* De vita  
contemp.  
l. 1. c. 3.



terna felicitas; ubi est amor perfectus, timor nullus, dies eternus. ô verba aurea, & quibus collatum aurum, non ita carum! Ecce & alia.

Prodeat de hinc Carthagine itidem natus Fulgentius, qui tempore Vandalico circa annum Domini quingentesimum floruit, summus Episcopus & scriptor non postremus: qui cum de cœlesti gloria mentionem faceret, sic orationem exorsus est.

*Epist. 6. c. 4.* *Quis non illius vita desiderio presentem vitam despiciat? quis non illius abundantia delectamento diuitias temporis labentis exhorreat? quis non illius regni dilectione omnia terrena regna contemnat?*

Magnus autem Doctor & Pontifex Gregorius ante mille circiter annos, tam ample & digne eandem descripsit, itaque laudes eius decantauit, ut dicere non erubuerit, tam ingentem mercedem illam esse, quæ Beatis in regno cœlorum promissa est, ut si vel scintillam eiusdem animis nostris inferemus, omnis subito rerum temporalium amor eiusdem ardore in nobis extingueretur. Verba eius audiamus: *Si consideremus, fratres charissimi, quæ & quanta sunt, quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescunt animo quæ habentur in terris. nam quidquid quatuor hæc elementa, & orbis inferior continet, nihil omnino est, atque indignum prorsus, ut cum eo, quod in cœlesti nobis domicilio paratum est, conferatur.*

*Hom. 37.  
in Euang.*

Hos omnes vero multis sæculis antecessor Martialis, Apostolorum discipulus, ciuium meorum decus & columen, magnus Aquitanie Apostolus, primusque per hanc nostram Galliam Euangelij præco, ad Tholosanos scribens, ut eos ad fortiter in vitæ huius prælio certandum animaret, & ad virtutis iter capeffendū incitaret, aliud profecto calcar non adhibuit, quam ut semper mercedem gloriæ cœlestis ante oculos haberent: *mementote vero sermonis mei, quem*

*Epist. ad  
Tholosanos  
cap. 2.*

quem sepe dicebam vobis, quanta & qualia in caelo preparata sunt Sanctis, & timentibus Deum, Omnis enim potentia & gloria in regno Dei indefinenter permanent, qua nec augeri nec minui possunt.

Sed nimis iam diu veterum Patrum sententijs inhæsimus. Sacrae Scripturae hortum quoque ingrediamur, atque ex eo qui ad hanc corollam facere videbuntur, flosculos decerpamus. prodeat itaque in medium generosa illa Amazon ac Virago, Machabæorum mater, quæ impij & efferati Antiochi tyrannidem crudelitatemque haud verita, filiosque ad fortiter agendum exhortans, infinitam illam iustorum mercedem, & immarcescibilem legitime pugnantium coronam ipsis in mentem reuocauit: ita namque septimum & natu minimum, in medijs constitutum supplicijs, sex priorib. Martyrio iam consumptis, ad perseverantiam constantiamque adhortata est; *Peto nate, ut aspicias ad caelum, & ad terram, & ad omnia quæ in eis sunt, & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus; ita fiet, ut non timeas carnificem istum, mortem rideas, inque medijs supplicijs animum sumas.*

2. Mach. 7.

Deinde, quod multo magis admirandum est, ipsemet Dominus ac Redemptor noster Iesus, nudus in cruce pendens, omni humano destitutus auxilio, spineo ferto redimitus, toto corpore vulneratus, ac viribus exhaustis; spem gloriae & mercedis immensæ, quæ ipsi post passionem parata erat, velut vnicum solamen ac dolorum lenimen, habeat: proposito enim sibi gaudio, quod ex gloriae illius fruitione oriebatur, clauos non sentiebat, in flagris velut in epulis versabatur, & hastam militis delicias existimabat. ita namque ad Hebræos testatur Doctor Gentium Paulus, *Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* *Hebr. 12.*

De SS. tom. 1.

B dito-

ditores, atq; luculenta hac gloriæ spe ad fortiter agendum excitamini, & gaudete & exultate, quoniam *merces vestra copiosa est in cælo.*

*Matth. 5.*

*Luc. 6.*

Gloria Beatorum verbis exprimi nequit.

*Cant. 5.*

*Ibidem.*

Iterum inquam *copiosa*, ac tanta, vt voluptas, quam eiusdem perfecta ac plena fruitio generat, nullis exprimi verbis, nullis scripturæ testimoniis valeat demonstrari. Amans illa mulier, quæ sub sponsæ imagine in Canticis describitur, cum dilectum suum per vicos & plateas indageret, & filia Sion ab ea peterent, *Qualis est dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum?* eiusdem statim virtutes, proprietates, perfectiones, dotes & merita graphice & ad viuum depinxit: *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. Caput eius aurum optimum, comæ eius sicut elatæ palmarum, nigra quasi coruus. oculi eius sicut columbæ, quæ lacte sunt lotæ & resident iuxta fluentia plenissima. Genæ eius sicut areolæ aromatum confite à pigmentariis. Labia eius lilia distillantia myrrham primam. manus illius tornatiles, aurea, plene hyacinthis, guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis.* Mirari satis non possum hanc sponsam, quæ, cum omnia dilecti membra similitudinibus depingat, auro caput, palmæ cæsariem, columbis oculos, gemmis manus, myrrhæ os comparans; nihil tamen reperire potuerit, cui guttur eius compararet, id solum iucundissimum ac suauissimum nuncupans. Et sane id mysterio non vacat; sed declaratur hic, multa quidem ac plurima hoc in mundo reperiri, quæ diuinæ maiestatis attributa ad viuum expriment, & eius Sapientiam, Prouidentiam, Iustitiam, Misericordiam, aliaq; plurima quæ per hæc membra designantur, sed nihil omnino à Deo creatum esse, cui sponsi guttur, id est gaudium, quo Electi in cælo perfruuntur, pro dignitate conferatur, sed sufficere, si sponsæ verbis dicatur, *Guttur illius suauissimum.*

Sancta

Sancta porro Scriptura, vt id ipsum gaudium a- Ibidem.  
 liquo modo exprimeret, nobisque quadam tenus  
 repræsentaret, *Gaudium Domini* id appellat, ita *Matt. 25.*  
 namque in S. Matthæi Euangelio id expressum le-  
 go, *Intra in gaudium Domini tui*: quasi dicere volu-  
 isset, gaudium quo cælicolæ & Iusti aliquando in  
 cœlis perfundentur, simile fore gaudio, quo ipse  
 Christus Dei filius fruitur. Ita namque ipse id in  
 Euangelio S. Ioannis expressit; *Si quis mihi mini- Ioan. 12.*  
*strat, me sequatur; & vbi sum ego, illic & minister meus*  
*erit.* Quin & amplius, quid in verbis illis: *Intra in*  
*gaudium*, intueor; videtur enim illa loquendi ra-  
 tio immensam huius gaudij magnitudinem ap-  
 positissime declarare, quæ nimirum adeo copiosa  
 & infinita existet, vt ipsa non in Iustorum animas,  
 sed in ipsam animæ intraturæ sint: deficiente quip-  
 pe sinu, quo illam contineant & complectantur,  
 in profundissimis illius abyssi penitus absorbe-  
 buntur. Exclamem igitur merito, O gaudium!  
 ô mercedem! ô ter & quater beatas animas! &  
*Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est* *Matt. 5.*  
*in cælo.* *Luc. 6.*

Vere *copiosa*, tum propter perpetuitatem, quo-  
 niam in æternum permansura est; tum propter e-  
 iusdem eminentiam ac perfectionem, quia finis  
 eius diuina essentia est, quæ omnis gaudij ocea-  
 nus, in qua omnes thesauri reconditi sunt, & è  
 qua velut è fonte quidquid habemus, aut vide-  
 mus, deriuatur; quæ proinde obiectum infini-  
 tum est: Cuius eminentiam, magnitudinem, nes.  
 amplitudinem ac maiestatem vt melius perspe-  
 ctam habeatis, aperta vobis eam similitudi-  
 ne declarabo. Si per plateas transiens sordes  
 è domo foras proijci videres, quæ tamen re-  
 uera non sordes, sed pyropi, adaman-  
 tes,

tes, gemmæ atq; aurum essent; an non obstupesceres, oculisq; & cogitationibus in altum sublevis, tecum ipse admirans diceres: Hem quam preciosos in domo illa thesauros, quas diuitias, quasnam opes latitare existimandum est! hem quam felices ac beati illi sunt domestici, qui in opulentam hanc familiam adoptati sunt! O vos omnes, qui per mundi huius plateas inceditis, attollite, paulisper oculos; & vobiscum quæso perpendite, omnia quæ in mundo, cælis, pelago, elemētis, bestijs, gemmis, ac vobismetipsis deniq; conspiciatis, & quidquid demum in rerum natura preciosum existat, è diuinæ huius essentiæ fundo profecta esse, & potentia illius scopis per creationis fenestras in hunc mundum velut quasdam quisquiliās, purgamenta, relique superfluas, quæ inexhausto diuinæ huius essentiæ reconditorio superabundant, eiecta: ac mille novos mundos, & multo etiā perfectiores, eodem adhuc egredi posse, si vt eosdē creare potest, ita & velle. Hic igitur sistite, oculisq; & animis in altum erectis vobiscum perpendite, quales thesauri, quæ diuitiæ, ecquæ gaudia in profundis Deitatis ipsius abyssi delitescant; quantaq; eorum felicitas sit & beatitudo, quorum ante oculos infinitus ille thesaurus semper versatur, quorum ipse merces est & omnia, quiq; in atrijs illius semper commorantur: quam felicitatem cum Psalmographus consideraret, exclamat: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.* & ipse verbis Evangelicis eidem succino dicens, *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælo.*

*Psal. 83.*

*Matth. 5.*

*Luc. 6.*

Copiosa reuera ac quodammodo infinita; præfertim cum eiusdem obiectum ipse sit Deus, idq; in sæculorum sæcula: Deus inquã, cuius vel solus intuitus homines simul & Angelos in admirationē rapit

rapit: cuius maiestatem atq; amplitudinem quoniã nullis exprimere verbis possum, similitudine quadam quantum potero demonstrare contendã. Non esset sane mirũ, si Rege per regni sui terminos incedente agricolæ, coloni, ac promiscua multitudo, quibus regiam intueri maiestatem insolitum foret, in admirationem & stuporem raperentur, tanta maiestate perculsi: at si ipsi aulici & regni Principes, qui regem quotidie videret & alloquerentur, quiq; à primis annis aulam frequentassent, cum Rege ipso quodammodo educati, si illi inquã, quotiescunq; eiusdem amplitudinem, magnificẽtiam & maiestatem intuentur, præ admiratione toties in mentis stuporem raperentur, an non dicendũ foret, summũ hunc ac diuinũ quodammodo Regẽ esse? Hinc vltèrius cogitatione progredere Christiane, ac tecũ cogita regẽ illum regũ summum quendam Deum esse, ac maiestatem quandã infinitam, cum non modo ipsos Sanctos, qui mundi huius olim incolæ fuerunt, sed ipsos etiã Angelos aulæ cœlestis inquilinos, qui iam à quinq; annorum millib. ei obsequuntur, seruiunt, ministrat, in admirationẽ & stuporẽ rapiat: ipsas etiam Virtutes, Dominationes, Potestates, ipsam sc. regni ei nobilitatẽ; ipsos Thronos, Cherubinos, Seraphinos deniq;, Principes ei loco proximos, & ad coronam pertinentes. Atq; ex his omnib. tecum statuenum magnæ sit mercedis loco habendũ, ac plurimi faciendum, summũ hunc regẽ quotidie intueri, eiusq; visione, in perpetuum frui; & num iterũ iure meritoq; mihi liceat dicere, *Gaudere & exulta-* Luc. 6.  
*te, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.*

Tertium mihi, ad hanc mercedẽ magis magisq; exaltandam, Cœlestiumq; felicitatem sublimius adhuc extollendam, conceptum suggessit D. Io-

Epist. 5. ad  
Theodor.  
lapsum.

annes Chrysoft. Dic obsecro, inquit, Christiane, si quis te in theatrum induceret, in quod magna virorum præstantium multitudo conuenisset, splendide ac regifice indutorum, magna feruorum cetera stipatorum, summoq; ab vniuersis honore affectorum: in eorum vero medio potentissimus quidam Monarcha sederet, auro gemmisq; effulgens, qui suo te lateri assidere cuperet, teq; in amplissimum illum virorum illustrium confessum adoptare; an non te totum libens ac merito eiusdem obsequio dedicares? an non te mortalium felicissimum existimares? Hac subnixus deinde cogitatione in celos euola, ad illud amplissimum theatrum oculos intende, quod non ex huiusmodi viris, sed ex purissimis spiritibus virtutibusque mundissimis coijt, quorum species, pulchritudo, diuitiaq; gemmas atq; aurum longe antecellunt, quorum splendor solis radios superat; ne solum ex hominibus, sed ex ijs qui hominibus infinitis partibus dignitate & conditione præstant, Angelis inquam, Archangelis, Thronis, Dominationibus, & Principatibus: in eorum vero medio potens ille Rex sedet, maiestatis infinitæ, cuius magnitudinis & amplitudinis vnicus splendor omnium creaturarum oculos præstringit. Adeo vt, si mille mortis genera essent subeunda, quo tantæ felicitatis participes reddi possimus, promptissime ea ac libentissime ferenda forent, & ab ambabus vnis vltroq; amplectenda. Ita vt hac Chrysoft. similitudine permotus rursus plena voce clamare cogar: *Gaudete & exultate quoniam merces vestra copiosa est in celo.*

Matth. 5.

Sunt nimirum animæ illæ Sanctæ ac Beatæ, quas hic exultare volumus, quibus sc. hodierna die pagenyrim hanc offerimus, & quarum lætam hodie festiuitatē celebramus; cū ipsæ sint; quæ hanc pro  
labo-

laboribus suis gloriã, hanc ob certamina coronã, hancq; pro sudore mercedem adeptã sint. Animã Sanctẽ, quẽ vere in cœlesti habitaculo commorantur; nõ autẽ in aliquo mundi angulo, donec vltim<sup>9</sup> iudicij dies aduenerit, delitescunt, vt absurde olim assererat Tertullian. quã Dei modo visione pfruantur, non vero eadẽ vsq; ad generalis iudicij diẽ priuatã sunt, vt credebãt Armenij teste Guidone, & Græci teste D. Thoma & Concilio Florentino: quẽ in cœlesti paradiso iã exultant & lætantur, non vero eodẽ exclusã manebunt, donec Christus ad iudiciũ venturus sit, vt docebat Vigilãtius, Petrus Abaillardus, Petrobrusiani, & Fraticelli testãtib; id Hieron. contra Vigilantium, Gabr. Prateolo de hæresibus, & Platina in vitis Pontificũ: quã mundo huic mortuã in cœlo viuunt, omnium quẽ hic geruntur cõsciẽ. nõ vero perpetuo somno sepultã iacent rerũ mortaliũ prorsus ignarã, vt sacrilego ore calumniatur † Lutherus, vel, vt † Corn. Agrippa, nondũ cœlo receptã, vel, vt impius & nefarius Calvinus; qui mera commẽta ac nugas existimauit, asserere easdem iã gloria donatas: quã mendacia ac deliramenta vno hoc ambone ex Euangelio Ioannis deprompto retundo: *Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum; vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi.* & loco illo Paulino, *Cupio dissolui, & esse cum Christo.*

lib. 4. contra Marcion. c. 34.

D. Thoma de erroribus Græcor. Concil. Flor. sess. 7.

† ad ca. 25. Genes. † lib. 3. de occulta Philosop. † lib. 3. inst. c. 25. sess. 6. Ioan. 17. Philip. 1.

Animã inquam sanctã, ac terq; quaterq; beatã, quã nobis coram diuino tribunali patrocinantur, rem nostram agunt, ac pro nobis apud supremum illum Iudicẽ intercedunt, vt in Baruch Propheta legimus, *Domine omnipotens Deus Israel, audi nunc orationem mortuorum Israel, & filiorum ipsorum, qui peccauerunt ante te.* Et secundo Machabæorũ legim<sup>9</sup> summum Iudæorum Pontificem Opian, qui du-

cap. 3. 2. Mach. 13.





*Luc. 16.**contra Vigilant. c. 3.**† orat. fratri in S. Nicetam. † in verbo Constantinus. † part. 4. annal.**Mahometus Azora. 49.**Apoc. 7.*

dum antea defunctus erat, à fortissimo populi vindice, ac patriarum legum æmulatore Iuda Machabæo visum, qui iunctis Deo manibus pro Iudaici populi salute supplicabat. Si diues ille Epulo, de quo in Euangelio, in medio flammarum infernalium constitutus pro fratrum salute Abrahamum deprecatus est, eorumque memor existit; an non id potius de Sanctis existimandum est? ut nimirum Vigilantij impietas refellatur, qui, teste Hieronymo Sanctorum intercessionem sustulit, ut Constantini Copronymi temeritas convincatur, qui etiam edicto publico Sanctorum inuocationem euertere conatus est, dicens Sanctos de nobis rebusque nostris non esse sollicitos, nobisque nulla posse ratione opulari: cuius demeritæ assertores & testes habeo. † Theodoretum, † Suidam, & Michaëlem Glycam, ut refutentur hæreticæ assertiones Vualdensium, testibus Guidone & S. Antonino; Viclehtarum, Thaborensem in Bohemia, ut refert Æneas Sylu. Lutheri quoque & Zuinglij, qui omnes nefarie crediderunt, & suos verbis & scriptis docuerunt, Sanctorum inuocationem frustra esse institutam, eisdem carere auribus, quibus nostras preces excipiant, eisque nulla suppetere media, quibus nobis succurrat, aut hominum postulatis vlla ratione posse morerere. Similis omnino error est Mahometanorum, qui Sanctorum intercessionem, iuxta Alcorani sui doctrinam penitus negant, quod vnum est præcipuis nefandæ eorum superstitionis capitibus est ac veluti fundamentum.

Animæ beatæ ac felices, quæ ex varijs nationibus omnibusque orbis gentibus congregatæ sunt. ita namque easdem nobis Sanctus Ioannes hodie in Epistola describit, qui suis eas oculis præsens aspexit: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.*

rat, ex omnibus gentibus, tribubus & linguis, stantes ante thronum Dei. ait, vidi turbam magnam, non vt hinc temerè præsumeremus, nos certò certiùs de numero eorum futuros, sed ne fortasse visa electorū, ac saluandorum paucitate, in desperationis voraginem prolaberemur, quasi æterna gloria excludendi, at vt hinc animos potiùs fumeremus, eò nos aliquando peruenturos, quo tot generosi athletæ, tot strenui milites, & tanto quidem numero peruenerunt. Hæc porro gentium & tribuum cō-

Ex omni-  
bus muu  
di angul's  
ad cœlum  
ascēditur.  
Apo. 21.

mixtio, linguarumq; diuersitas aliud nihil denotat, quam ex omnibus mundi populis & nationibus aliquos, in cœlesti habitaculo iucunda ac beata Dei visione perfrui. Atque in huiusce rei confirmationem, insignis illa ciuitas, de qua in Apocalypsi, quæ Ierusalem cœlestis figura & typus erat, duodecim habebat portas amplas & latepatentes, quæ versus omnia mundi climata respiciebant: vt hinc ad oculum pateat, ex omnibus terrę partibus & insulis maris ad ciuitatem illam cœlestem aditum patere.

Animæ quinetiam gloriosæ, quarū tamen gloria & beatitudo inæqualis est, licet singulæ vsq; ad satietatem reficiantur, & plena voluptate perfundantur, docuere me id duo magni nominis & sanctitatis scriptores: Eucherius nimirum Lugdunensis, qui anno Domini CCCCL. in nostra hac Gallia floruit, Prosper Aquitanicus Eucherio per omnia æqualis. Prioris verba sunt hæc: *Qui plus laborauerit plus mercedis accipiet: stella enim, vt Apostolus ait, differt à stella in claritate: sic & resurrectio mortuorum: quamuis igitur omnes beati erunt, non tamen omnes æquales erunt.* Posterioris verò hæc: *Propterea quicumque ibi erunt, etsi differentibus meritis abinuicem distabunt omnes tamen vna perfectione beati erunt, quia sin-*

Homil. in  
Natali v-  
nius Con-  
fes.  
Lib. de vita  
contemp.  
cap. 4.  
gulis

gulis sua premia sufficientia erunt, & capere amplius premijs suis iam perfecti non poterunt: sicut enim corporalis saturitas omnes saturos equaliter habet, quamvis singuli cibum non equaliter, sed pro possibilitate percipiant; ita omnes Sancti etsi fuerint aliqua graduum suorum diuersitate distincti, vna beatitudine perfecti erant, quia & vna perfectione beati sunt. Adnectamus hinc testimonij figuram è sacra Scriptura de promptas.

Exod. 16.  
Figura  
quibus de-  
monstra-  
tur, non  
esse gloria  
Sanctorum  
æqualis.

1.

Apoc. 2.

Gen 43.

2.

Traditum est, filios Israël, cum in deserto Sinai hærerent, & manna de cœlis præstito nutrèrentur, quamuis alij plus alijs colligerent & comederent, eandem tamen omnes ex eo voluptatem percipisse, & saturatos fuisse, adeo vt tam satur esset, qui minus collegerat, quam is, qui amplius. Textus verba audiamus: *Et mensi sunt ad mensuram Gomer, nec qui plus collegerat habuit amplius, nec qui minus parauerat, reperit minus, sed singuli iuxta id quod edere poterant, congregauerunt.* Manna in sacris litteris beatitudinem designat, vt ex eo ipso Apocalypsis loco manifestum redditur, *Vincti dabo manna absconditum.* & iucundissimum ea profecto manna est, qua Beatorum animæ reficiuntur, sed eo discrimine, quod reuera mirandum est, vt quamuis omnes non equaliter de eadē participent, omnes tamen iucundissime reficiantur, & sufficientissime saturantur, tā ij qui minori gloria potiuntur, quam qui maiori. Ioseph Patriarcha cum totius Ægypti habenas moderaretur, & fratres qui in Ægyptum venerat conuiuio excepisset, ordine ætatis singulos mensa iussit accumbere, in suprema scilicet mensa priores natu, in ima vero natu minores. *Sederunt coram eo primogenitus iuxta primogenita sua, & minimus iuxta ætatem suam:* & quamuis loco inter se differrent, omnes tamen iucundissime, & ad satietatem epu-

lati fu  
que &  
gare a  
gur  
Iesus  
ctos,  
tissim  
quen  
nius  
velu  
fruan  
res si  
prio  
entur  
mus  
Ma  
ris fi  
le op  
fecti  
dum  
C  
ver  
est h  
da,  
nor  
qui  
gin  
ann  
sup  
ma  
qu  
per  
gra  
dic  
li,

lari sunt: eodem namq; loco scriptum est, *Biberunt- Gen. 43.*  
*que & inebriati sunt cum eo.* Quis est obsecro, qui ne-  
 gare audeat, hoc Iosephi epulum, epuli cœlestis fi-  
 guram fuisse, beatitudinis inquam æternæ, in qua  
 Iesus Christus verus Ioseph omnes Cœlites & San-  
 ctos, qui fratres eius secundum carnem sunt, lau-  
 tilissimo conuiuio excipit; sed ita, vt tamen veluti  
 quendam, non quidem ætatis, sed meritorum v-  
 nius cuiusq; ordinem seruet: adeo vt maiores natu  
 velut in capite mensæ sedeant, maioriq; gloria per-  
 fruantur, qui vero inferiores sint meritis, inferio-  
 res sint etiam gloria, omnes tamen sine vlla exce-  
 ptione saturentur, & deliciarum vbertate inebri-  
 entur. Vnde Propheta, *Inebriabuntur ab vbertate do- Psal. 35.*  
*mus tue.*

Magnus ille Balthasar, magni Nabuchodonoso-  
 ris filius, Babyloniorum Rex, splendidum ac rega-  
 le optimatibus suis, purpuratis, ac regnorum præ-  
 fectis conuiuium parauit, in quo *vnusquisque secun-  
 dum suam bibebat ætatem.* 2.  
Daniel. 5.

Quidam, quorum est omnia cauillari, ac sacra  
 verba sannis excipere, aiunt, quæ eorū ignorantia  
 est hæc verba *secundum suam ætatem*, ita intelligen-  
 da, vt tot quisq; scyphos exhauriret, quot esset an-  
 norum: ita vt qui viginti annorum esset, viginti;  
 qui triginta, triginta, qui quinquaginta, quinquag-  
 ginta pateras euacuaret; vt nimirum crescentibus  
 annis, crescerent & haustus, atque ita qui cæteros  
 superaret ætate, superaret & numero paterarum,  
 maioriq; vinum biberet abundantia. Alij vero,  
 quorum & mens sanior, ac doctrina maior, aiunt  
 per *ætatem* hic dignitatem honorum meritorumq;  
 grad<sup>o</sup> designari: quorū opinioni equidē accedens,  
 dico, hoc epulū Regis solemnem Beatitudinis epu-  
 li, & ab omni æternitate electis suis Deus præpa-  
 rauit

rauit, typum existere, sed epuli exquisitissimi, in quo vnusquisq; Sanctorum secundum artem est, secundum merita virtutesq; bibit. Docuit enim olim Propheta Isaias, idq; egregia quadam metaphora, *Pascentur agni iuxta ordinem suum: & super aqua quadam non inferiori Psalmista, Torrente virtutis tue potabit eos.*

*Psalm. 5.*

*Psalm. 35.*

*Luc. 19.*

3.

Ad nouum iam testamentum veniamus; in quo legitur, *homo quidam nobilis* in aliud regnum expeditione adornasse, suasq; facultates inter seruos distribuisse: qui cum parua victoria domum redisset, & seruos singulos ad se vocasset, vt nimirum discerneret, quantum quisq; negotiatus esset, laudauit eos, qui se absente gnauiter in negotiando se gesserant, dominiq; diuitias cum foenore impenderant, quorum aliquos decem ciuitatibus, aliquos vero quinque præficiendos curauit. in qua parabola liquido apparet, omnes quidem remuneratione accepisse, licet non æqualem. Hæc quidem, fateor, parabola est, sed Eucherius Lugdunens. cuius verba paulo ante adduximus, ait eam vt veram intelligendam esse, atq; eadem denotari, Deum, qui in crucis certamine regnum sibi cælorum acquisiuit, Electos suos actiue ministros, post rigidam de traditis talentis rationem exactam, in cælesti habitaculo amplissima mercede ac remuneratione donare, sed non per omnia æquali: hos enim decem ciuitatibus, illos vero non nisi quinque præfici, id est, hos maiori, illos autem minori in cælo gloria donari. Fixum igitur sit & penitus indubitatum, Electorum mercedem infinitam esse & copiosam: in qua hic iam finio, vt ad alterum tandem aliquando concionis membrum descendam, simulq; edoceam, qua via, qua ueritate ad tam immensam gloriam perueniatur.

Octo olim Dominus vias esse docuit, quibus ad

Beati-

Beatitudinem pertingatur, quas hodiernum nobis Euangelium etiam describit, Paupertatem scilicet spiritus, Humilitatem animi, Dolorem & luctum vna cum lacrymis, Sitim & ardens quoddam desiderium iustitiae, Benignitatem & misericordiam erga egenos, Munditiam & puritatem cordis, Mansuetudinem & dulcedinem morum, & singularem in ærumnis ac persecutionibus tolerantiam. *Beati Matth. 5. pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. &c.* Sunt hæc velut totidem viarum quibus ad salutem peruenitur, ac veluti semitæ, quas omnes sancti, qui modo caelesti gloria potantur, calcarunt, vt ad beatitudinem peruenirent. Porro has octo vias in sacris legimus voluminibus expressas.

Octo ad beatitudinem vitæ.

*Ezech. 40.*

Vidit olim Ezechiel templum amplum ac magnificentum, quadrangulare, in quo varia prodigia videbat, ad quod per octo gradus ascendebatur, splendidum illud ac superbum edificium typus fuit ac figura templi illius caelestis, & octo illi gradus, graduum per quos ad gloriam & felicitatem æternam conscenditur, ac viarum, per quas ad caelum iter patet.

*Gen. 28.*

Iacob Patriarcha cum Bersabee (qui Iudææ vicus erat, in limitibus terræ Chanaan, qui in terræ diuisione Simeonitis obtigit) egrederetur, vt in Harã pergeret, somno grauatus in saxum caput reclinauit, cumque altum dormiret, vidit scalam quandam prodigiosam, cuius vna extremitas caelum, altera terram tangebatur, per quam Angeli descendebant & ascendebant. Qui veram somni huius interpretationem habere desiderat, sibi ille persuadeat, scalam hanc figuram illius esse scale, quam hodie in Euangelio nostro erectam cernimus, quæ octo gradus habet, & cuius vna extremitas terram tangit, cum dicitur,

TORVM  
tissimi  
atatem  
Docuit  
adami  
m: & f  
rrentz  
nus; in  
m exp  
seruos  
n redi  
miri d  
clauic  
gesser  
ant, qu  
ro qu  
quido  
episse  
abola  
ulo am  
lam esse  
rtamine  
tos ac  
entis r  
plissima  
n per o  
los vero  
llos au  
gitur sit  
dē m  
t ad al  
um de  
e ratio  
bus ad  
Beati

Matth. 5.  
Ibidem.

dicitur, *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*; *terra vero cœlum cum in fine sequatur, Beati pro persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam regnum est regnum cœlorum.* Scala inquam, non Iacob sed Iesu Christi, per quam nimirum Patriarchæ, Prophetæ, Reges, Apostoli, Martyres, Confessores, Doctores, Virgines deniq; ad cœlestem gloriâ peruenierunt, sempiternæq; felicitatis consortes effecti sunt. Quotnam igitur, Deus bone, semitæ sunt & viæ, quib. ad salutem perueniatur! quot portus & quibus ad beatitudinē enavigare possimus; quotnam media quib. æterna felicitas acquiratur! Quæ obrem nolite iam amplius ô mundani præ animi angustia ac pusillanimitate dicere, ipsum iter cœli versus angustum esse, & varijs periculis & castris aditum eius interclusum. Nam proponit ecce nobis octo Dominus vias, vt ex ijs vnâ deligamus, quam ingrediamur; Certissimeq; nobis affirmat, quacumq; tandem incedamus, per eam ad æternam nos beatitudinē perducendos. In quâ rem egregiam è profanorum libris historiam proferat.

Præclara  
Athenien-  
sium con-  
suetudo.

Solemne erat Atheniensibus, quo liberorū suorum indolē melius perspectam haberent, eosque a teneris ad omnem probitatem vitæq; honestatem erudirent, eosdem certis quibusdā diebus, omnium artificum patentib. officinis, adhuc iuniores, per omnes vrbs plateas deducere. In hac deductione diligenter notabant, in quam potissimum officinam oculos conijcerent, quos artifices attentius & curiosius intuerentur, & quorū artificio maxime caperentur: nam & fixo & accurato illo intuitu propensiones liberorū, & primos naturæ instinctus facile colligebant. Quando igitur eos polionis officinâ attentius inspicientes viderent, ac singula arma non sine ingēti animi voluptate gestiantisq;

tisq; vultus indicio contemplantes, hanc nimirū  
 loriam bene compactam, huius hastilis leuitatē,  
 huius gladij aciem illius galeæ temperatam mix-  
 turā demirantes; præfagiebant patres, eos ad bel-  
 lum natos, ac Martijs proinde exercitijs & certa-  
 minib. exercendos, colligebant, itaq; eos veluti se-  
 cundos Hercules, Philippos quasi novos Alexan-  
 dros, patriam armis & dextrā defensuros. Si vero  
 iidem liberi ante bibliopolæ cuiusdam fores siste-  
 rent, & operib. Platonis, Euclidis inspiciendis, Ho-  
 meri versibus, aut orationib. Demosthenis legen-  
 dis caperentur; augurabantur eosdem ad studia &  
 artes humaniores editos, atq; ideo studijs & scho-  
 lis applicandos: atq; eos aliquādō vel in rostris de-  
 clamando, vel philosophicas disciplinas perdiscē-  
 do, sibi parentibusq; honorem & gloriā immorta-  
 lem allaturos. Quod si illos mechanici alicuius ar-  
 tificio delectari cernerent, cōiectabant eos non ad  
 sublimia, sed ad triuialia natos. atq; ita è diuersarū  
 rerum intuitu, in quas liberorum oculi & tenelli  
 animi ferebantur, veluti præfagiebant, quo quisq;  
 animo foret, & ad quid natura sua propenderet.

Id ipsum omnino hodie nobiscū Iesum Christū,  
 benignū illum Patrem & Dominum agere video:  
 cupiens enim à primis incunabulis ad virtutē ho-  
 nestamq; cōuersationē nos extimulare, adq; bea-  
 titudinē accendere, omnib. amarissimę vitę huius  
 diebus, ac præsertim hodierna die, per omnia nos  
 Euangelij sui loca deducit, ac per varias semitas &  
 vias, quibus ad gloriam peruenitur, quo naturam  
 nostram propensionemq; naturalem exploret, &  
 videat nū occulto naturæ instinctu ad æternā bea-  
 titudinē feramur. Modo namq; ostēdit nobis offi-  
 cinā pauperū, q̄ voluntate sua paupertatē amplexi  
 sunt, & si videat nos hac eorū paupertate delectari  
 & af-



& affici, certo sibi persuadet, ad regnum cœlorum nos aliquando peruenturos. Modo nos deducit ad lacrymâtes, gemebundos, ad beatos illos Heracitos, qui sic ad mortē vsq; peccata singultibus, suspirijs, gemitib. inenarrabilibus, pœnitentia, & lacrymis eluere conantur; & si cernat horum nos gemendi, plorandiq; cōsuetudine capi, continuo defert, gaudiorum nos sempiternorū, participes futuros. Deinde, pponit nobis mansuetos, benignos, mitēs, placidos, eos inquā, qui humilitatem confectantur, passiones & lasciuientes animi motus edomuere, eos quorum cor mūdum est, atq; ab omni prorsus labe vacuū; etsi hic sentiat nos rapi & affici, auguratur & conijcit nos Deum aliquando visuros, atq; iucunda diuinæ eiusdem essentię visione aliquando recreandos. Deniq; per rubicunda persecutionum theatra nos exspatiatum deducit, per officinas nimirū afflictionū, per Martyriorum ac tribulationū pædagogia, quorum omnium aspectu si nos videt recreari, ac defixis oculis magnacum animi voluptate contemplari, hinc Petri in cruce, Paulum sub ense, Stephanū sub lapidibus, Laurentium in craticula, Iosephū in carcere, Danielē inter leones, tres pueros in camino ignis ardentis: si conspiciat inquā, nos non sine aliquo lætitiæ gestu videre, Dauidem à filio bello peritum, Tobiam oculorum lumine orbatum, Iob vlceribus plenum, ac sanie coopertum, populum Israel tam diuturno tempore in captiuitate cōstitutum; hoc ei velut certissimum præsagium erit ac signum relictissima nos ad cœlū grassari via, & ad regni sempiterni fruitionem nos esse destinatos. Atq; ita ex plurimis alijs considerationib. de intentione nostra & affectu, qui & de internis cogitationib. diiudicare potest: ideoq; varias hasce vias nobis aperit, aliquam

aliquam vt ex illis quam calcemus nobis feligamus, vt iter ad æternam felicitatem obtinendam hac ratione facile nobis & expeditum reddamus.

Magnus ille Israelitarum dux Iosue, urbem Iericho, quæ in primo terræ Chanaan limine sita e-

*Iosue 6.*

rat, quæq; à sexcentis hominum millibus cingebatur, expugnaturus, suos ad fortiter agendum cohortatus, præmonebat, ad tubarum sacerdotaliũ clangorem muros eiusdem ad terram quidẽ proflernendos: sed cauerent etiam atq; etiam, ne, patientibus iam muris & ad terram deiectis, omnes, vno simul impetu per principem portam intrarẽt, ne sibi mutuo impedimento forent, sed singuli è regione loci in quo stabant. Erit hæc nobis historia instar allegoriæ, dicemusq; regnum cœlorũ, quod toties in Euangelijs ciuitati comparatur, violent-

*Matt. II.*

ter rapi, ac vim quodammodo pati, in primis autem prædicationis buccina, quæ omnia valla demolitur, omnia etiam validissima propugnacula deijcit, omnes muros quos dæmones ad se se defendendos obijcere queant, ad terram prosternit, vinci & expugnari.

Quæ omnia ad terram cum deiecta fuerint, & iter ad cœlum iam complanatum, ingensq; ad trãf eundum patuerit hiatus, non vult summus ille regum rex Deus eadẽ nos intrare porta, eundemq; calcare callem; sed plures nobis demonstrat vias, vt quæ visa fuerit facillima & expeditissima, eam nobis ad calcandum seligamus. Vult quodammodo, vt sine vlllo nostro dispẽdio, magnaq; commo-

*Matt. 5.*

ditate cœlum ingrediamur, & facile ad salutẽ per-

tingamus: audite obsecro quot nobis ostia referet, quot aditus patefaciat: ait enim, *Beati pauperes spiri-*

*tu, Beati mites, Beati qui lugent, Beati misericordes, Beati*

*mundo corde, Beati pacifici, Beati qui sitiunt iustitiam,*

*Beati*

De S S. tom. 1.

C

Beati

Beati qui persecutionem patiuntur: Aperit ecce iter paupertatis, lachrymarum, misericordiae, humilitatis, ac tolerantiae semitam, aliasque varias, quarum unam nobis deligamus, per quam in caelestem patriam proficisci, & in Beatitudinis portum secure pertingere valeamus.

14. Exod.

Vetus Hebraeorum traditio est, Israelitis mare Rubrum transeuntibus, duodecim id locis mirabilis quadam ratione diuisum fuisse; ut unaquaeque tribus sine ullo impedimento, libere pertransiret. ita namque Origenes, Tostatus, & Genebrardus in Psalmos tradidit, illis Psalmographi verbis potissimum in xi, Psal. 135. qui diuisit mare rubrum in diuisiones. Voluit nimirum Deus, dilecto sibi populo duodecim transitus parare, ut tanto facilius & citius terram promissam per tribus ingrederetur. Discite hinc Auditores, eundem ipsum Deum, ut nos vitae huius Aegypto & Satanæ tyrannide eductos in paradysum, qui vere terra est, quam nobis toties & tam sancte promisit, deduceret, rubrum mundi huius mare, quod nobis prius transeundum est, in plures partes diuidere, dilatate quodammodo & complanare diuersis locis, ut tanto nobis transitus facilius foret & expeditior. Hinc transitur per paupertatem, illinc per humilitatem; hac itur per misericordiam, illac per patientiam. Sed octo nobis vias hodiernum Euangelium, velut regias demonstrat, & eas penitus esse se mutuo differentes, quas Beati & iusti calcando, diuersis amfraetibus ad caelestem patriam peruenere, & in gaudium Domini admissi sunt. Quarum aliquas accuratius iam persequar, & enucleatius explicabo. Prima itaque sit paupertatis.

Paupertas ipsa namque est prima omnium via, eaque certissima voluntaria & comperdiosissima, qua ad caelum & salutis portum prima perueniatur. hanc namque Christus primo loco nuncu-

nuncupavit, ceterisq; omnibus præposuit, *Beati*,  
 inquit *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cæ-*  
*lorum: quo loco non paupertatem quæ necessario,*  
 etiã ab inuitis, ferenda venit, intelligit, sed volun-  
 tariam; deq; ijs solum pauperibus agit qui vltro &  
 spontanee, sancto quodam ac religioso proposito,  
 Deiq; amore succensi, eamde complexi sunt, atque  
 omnia quæ in mundo possidebãt, vel aliquãdo et-  
 iam possidere poterãt, deseruere. Non possum ve-  
 ro quin hoc loco eorũ impudentiã & ineptam ca-  
 uillandi pruriginem coarguã, qui honore & digni-  
 tate beatitudinis huius abutẽtes, per pauperes hos  
 spiritu, fatuos, stolidos, idiotas, Bardos, & emotæ  
 mentis & imminuti cerebri homunciones deno-  
 tati volunt. Sed Glossam Ordinariam; quæ è cælo  
 profecta est, hîc sequimur, quæ per pauperes hos  
 spiritu, intelligit eos, qui vltro, nullius persuasu  
 propria voluntate ac consensu, omni se rerũ mun-  
 danarũ affectu exuerunt, & heroico quodam men-  
 tis proposito diuitijs & delicijs sæculi huius vale-  
 dixere, Deoq; Religiosæ paupertatis votum obtu-  
 lere. Atq; in hunc modũ humilis illa Dauidis Regis  
 oratio capienda est, *Inclina Domine aurem tuã, quia*  
*inops & pauper sum ego.* quæ verba Augustin. explanã  
 ait, *Pauper non erat Dauid, cũ Rex esset, sed interius pau-*  
*per erat: multi enim exterius pauperes sunt, qui intus diui-*  
*tes sunt desiderio,* & Sanctum Pauli præceptũ tran-  
 sgressiuntur, *Tamquam nihil habentes & omnia possi-*  
 dentes. Quare hic non nisi de paupertate volunta-  
 ria fit sermo, cui & hoc Euangelicum elogium ac-  
 cino, *Beati pauperes spiritu.*

ad beati-  
 tudinẽ via  
 est.  
*Matth. 3.*

*Psalm. 83.*

*2. Cor. 6.*

Paupertas  
 securus  
 quidam  
 portus est.

Hẽ quã securus paupertas ipsa portus est, è quo  
 recta, sine vlllo discrimine aut piratarum metu per  
 infames naufragij voragines ac mundi huius cha-  
 rybdes in patriam viuentium enauigamus. Quam

Ion. 1.

multos sanctos viros fidus hoc à tēpestate, pcellis ac fluctibus eripuit! Testis nobis sit Ionas Propheta; hic enim cū mare pernaugaret, non meliorem & seruandæ nauis & vitæ nauarchi, suiq; à tempestate liberandi rationē inuenire valuit, quā mercibus nauim exonerare, easq; in mare deijcere. Vita nostra, Auditores, mera quædam nauigatio est, idque in mari mundi huius, variis tempestatibus & procellis agitata: in qua nauigatione vt vitam nostram conseruemus animamq; in tuto collocem⁹, & damnationis perpetuæ naufragium euadamus, nullū, meo quidē iudicio, aut aptius aut conuenientius remedium reperire datur, quam inordinatis erga mundi huius res affectibus seipsum exonerare; diuitias velut res quasdam superfluas eijcere, atq; sub vndis paupertatis omnia concupiscentiæ desideria, quæ nonnunquam offerre sese gestunt, animoq; periculum accersunt, submergere.

4. Reg. 4.

Vasa, quæ Elizæ⁹ in domo Sunamitidis miraculosa quadā ratione oleo replebat, vacua prius fuisse constat. Vt autē nostro hoc proposito tropologicè adaptem, dico, animæ nostræ vasa non prius oleo gloriæ patriæ cælestis, in domo Dei, i. cæli adimplenda, quam ab omni penitus concupiscentiā, atq; omni terreno desiderio, in mūdi huius domo, eadē vacua reddantur. Nam mihi credatis velim, eū qui in hoc mundo pauper & inops est, hac sibi paupertate diuitias in altero comparaturum.

Non est  
motus in  
vacuo.

Docent Philosophi, atq; in primis Aristoteles, nullum in vacuo motū dari: adeo vt quamuis omni in re aliquis semper naturę motus existat, in vacuo tamen nullus omnino reperiri possit. Dogma hoc quidē Philosophicum est: quid ni & Theologicum? aio nempe in anima paupere atq; ab omni inordinato affectu rerumq; fragiliū desiderio vacua

eua, nullum omnino motum corruptibilem existere, eamq; velut in tuto, ne ab vllis vitiosis motibus, impeti possit, esse collocatam: adeo vt cum diuites & opibus pleni, ventis, tentationibus, & casibus variis obnoxij sint, pauperes velut in tuto & aprico loco constituti, ab omnibus procellis tempestatibusq; immunes existant.

Luna noctis illa domina nunquam defectū patitur, nisi dum plena est; quādiu enim dimidiata est & in cornua curuata, ab huiusmodi deliquo tuta existit; quin etiam tum cum plena est, à sole omnis luminis principio & fonte quam maxime distat. Id ipsum qd impedit quo minus de gratia dicam<sup>9</sup>, Peccata sc. quæ obscurissima quædam deliquia nominari queunt; in anima paupere, egena, rebusque necessarijs destituta (quæ hoc in mūdo instar lunæ crescētis & decrescētis est) rarissime locū habere: sed tum potissimū eamdem deliquiū & Eclipsim experiri, ac longissime à Deo, qui sol iustitiæ est, remotā esse, cū diuitijs & opibus turget. Exclamen igitur merito, O infelices diuitias, atq; omniū irritamenta malorū! & è contra, *Beati pauperes spiritu.*

Luna nō-  
quam de-  
liquium  
patitur  
nisi dum  
plena est.

*Matt. 8.*

Vere inquā beati qui propria sua voluntate, ac sponte vniuersos mūdi thesauros dereliquere, seq; ex omnibus sæculi huius pedicis & insidijs eripuerunt. Horū felicitatem olim quoq; demiratus est Sapiens, dū ait, *Beatus vir qui inuentus est sine macula, qui post aurum non abiit, nec sperauit in pecunia thesauris. Quis est hic, & laudabimus eum? fecit. n. mirabilia in vita sua.* Mirabilia inquam, ac mera miracula, ipsaq; miracula multis quin etiam partibus superantia. Afferit enim Chrysostr. atq; aperte confitetur, rerum temporalium & omnis lætioris fortunæ contemptum, omnium miraculorum esse maximum. in omnibus enim qui præter & supra communem

*Ecl. 31.*

*Hom. 27.  
in 2. ad Cor.*

naturę cursum, ac nō sine diuina cooperatione fieri videmus, Deus ipse præcipuus operator est, homo vero nō nisi instrumentū est, ac veluti quoddam zero in numerandi arte, q̄ ipsum quidem nullum ex se efficit numerū, sed alijs adiūctū notis ad millenariū vsq; & etiā amplius extēditur. Verū in singulari hoc miraculo, q̄ in paupertate voluntariā ac rerū mundanarū contemptu fitū est, homo præcipuus opifex est; hic n. ille voluntatē suam refrenat, hic prauos & inordinatos affectus compellit, eosq; à fluxis & perituris diuitijs auocat: Deus autē non nisi cooperator est, Creator velut persona secundaria impellit, at creatura opus ipsum perficit & consummat. *Beati igitur pauperes spiritu.*

Laudatur in sacris literis singularis illa patientia ac magnanimitas Iob Prophetę, quod nimirū, cum ignem, fulmina, elementa, homines etiam ac Diabolos, & totā vniuersi machinā in suā contraxisset pernitiē videret, aliud nihil, vnus iā & nudus ad extremum inopię & paupertatis reductus, heroica quadā & mascula animi magnitudine dixerit, quā, *Nudus egressus sum de utero matris meę, & nudus reuertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit; sit nomen Domini benedictum.* Dicere voluit expostulās, Quid est q̄ me hic affligam? cur animo exerceer? quippe qui nihil perdiderim; cum nihil huc intulerim, dū pedem in hunc mundum inferrem; & nihil quoq; hinc mecum ablaturus sim, dum mihi ad sepulchrū abeundū erit? Si Deus mihi facultates sit elargitus, & easdē iam abstulerit, solum repetijt q̄ ad se pertinebat: quare in æternum & in sæculū sæculi nomen eius maneat benedictū. Cū hanc Prophetę Stoicā magnanimitatem, ac simul voluntariā Religiosi paupertatem & in abdicandis opib. constantiā accuratius mecū perpendo, existimo

Iob 2.

Pauperes  
voluntarij  
cum Iobo  
cōparati.

xistimo sane hanc maioribus dignā esse encomijs magisq; deprædicandā. hic. n. sine vlla vanitate & inanis gloriæ metu dicere pōt: Dederas Domine tā amplas facultates & opes seruo tuo Iob, & eas idē ipse, in oēs illius possessiones sæuendo, repetijsti; in quo ipsa tibi elemēta famulata sunt, Diaboli vero volūtatē tuę executores exstiterē: Ego vero mihi ipsi futurus sum carnifex & tortor: neq; .n. expectabo, donec ignis, latrones, Diaboli quoq; in me crudelitātē suā exercent, violenterq; mihi auferant quæ benignissime mihi aliquādo indulxisti: at ego ipse amore tui ijsdē me denudabo, atq; omnibus omnino rebus motu pprio cedere, paupertatēq; voluntariam ambabus vlnis amplecti paratus sum. Iterum igitur dico, *Beati pauperes spiritu.*

Beati inquam ac terq; quaterq; felices, qui disruptis captiuitatis suæ vinculis, seq; ipsos mūdi huius catenis exsoluentes ad egregiā quamdā libertatē & vere aureā aspirant. Hinc Augu. *Quem delectat vera libertas, ab amore mutabitium liber esse appetit.* & apud Lucilium suū Seneca hanc suā libertatem extulit, ad eāq; eūdē inuitauit dicēs: *Vaco, mi Lucili, vaco; & vbiq; sum, meus sum; rebus. n. non me trado, sed commodo.* quasi diceret, Non meā ego libertatē vēdo, nec ipsis me rebus penitus submitto, sed horas tantū aliquot ex otio meo illis elargior, nec nōnullas tantū animi cogitationes. Singula hic verba pōd<sup>o</sup> & energiā habēt. *nō me trado:* rebus. n. se tradere est de iure suo decedere, libertatē perdere, vincula quædā pedib. iniicere, seq; mācipiū cōhiteri, *sed commodo.* neq; .n. affect<sup>o</sup> reb<sup>o</sup> hisce fluxis, nisi in quantū ad vitā necessarijs, asyngendi sunt: sed post aliquot occupationes deinde ad desideratam libertatē exoptatumq; asyllum redeundum. Atqui hanc Senecæ agendi consuetudinem imitantur pauperes hi



beati, quos hoc beatitudinis nomine ipsa Patris Veritas donavit, dicens, *Beati pauperes spiritu.*

Ion. 4.

Tempo-  
ralia bona  
hederæ  
compara-  
ta.

Luculentus hic mihi conceptus in mentem venit. Ionas Propheta è Niniue reuersus cū die media sub vmbra virentis hederæ defatigatus & laboribus exhaustus iucundissime dormiret, vidit ecce subito ad radicē eius vermem, qui eam dē depascēbat, quo facto omnis statim viror eius dē exaruit. Scripturæ verba sunt hæc : *Et preparavit Dominus Deus hederā, & ascendit super caput Ione, vt esset vmbra super caput eius, & protegeret eum : Laborauerat enim, & letatus est Ionas super hederā letitia magna ; & paravit Deus vermem, & percussit hederam & exaruit.* Per semper virentem hanc hederā bona temporalia intelligo. & merito: quemadmodum. n. hederā pariet aut maceræ alicui adhærescens in sublime excrescit & caput inter nubila condit; sola autē, & sine sustentaculo, sine vigore & flore per terram serpit: ad eundem modum & diuitiæ, si bonis hæc & pijs operib. adherēt, si elemosynis innituntur, captiuorū videlicet redēptioni, egrorū curationi, alijsq; exercitijs misericordiæ mirū quā sublime excrescāt, quāq; late meritorū ramos extēdāt: in minus, facile apparet, quam euanidæ & emortuæ ac quodammodo exsuccæ ad terrā delapsæ iaceāt. Huius autē sub hederæ vmbra quā suauiter mundani dormiūt cū nimirū diuitijs terræ huius gaudentes ingentem ex ijsdem voluptatem percipiunt? Sed, hē breuem ac fugacem voluptatem dum minime credunt vel exspectant, vermiculus quidā terra egrediens, viridē hanc arborem exedit & eiusdē radice depasta omni eā penitus virore despoliat. Vermis hic Auditores, ipse Christus est qui & hoc seipsum nomine appellare non dubitauit (*Ego sum vermis & non homo, superbiēs & arrogās, atq; instar aliorum*

liorū puerfus & iniqu<sup>9</sup>) vermis hic arbusculi huius  
 radices depastus est, cū sacrosancto suo ore paupe-  
 res spiritu felices ac beatos pronunciauit. Hinc por-  
 ro factū est, vt omnes deinde viri sancti elogio hoc  
 potissimum incitati opes & diuitias sæculi huius  
 velut mortuas, aridas & exsuccas existimarint.

Post opulentam hanc paupertatem altera ad Benigni-  
 coelos semita ipsa est benignitas & iniuriarū placi-  
 da perpessio. ita namq; id docuit olim magnus ille tas secun-  
 da ad glo-  
 artium Magister Christus Dominus, dum ait, Dis- riam via  
 cite à me quia mitis sum & humilis corde, discite inquā est.  
 non mundos de nouo condere, mortuos ad vitam Matt. 11.  
 reuocare, manna de cælo pluere, rupes in fontes a-  
 quarum conuertere, sed benignitatem; discite rā-  
 corem & omnem animi amaritudinem exuere, &  
 humilitatē cordis vestri tabulis insculpere. Hinc Num. 12.  
 inter maxima Mosis Prophetæ encomia scriptum Psal. 85.  
 de eo legimus, *Erat enim Moses vir mitissimus.* & Psal-  
 tes inter ceteras Dei optimi maximi proprietates  
 hanc non postremam arbitratur, *Tu Domine suauis*  
*& mitis.* Quin & ipse Deus beatitudines suas expo-  
 nens, & eos qui beati sunt enumerans, secundo lo-  
 co benignitatem & mansuetudinem posuit, atque  
 eos qui mites sunt & benigni: ab omni videlicet  
 felle & animi virulentia alieni.

Maledicta sit igitur iracundia, & rabies, ac nimiū  
 vos infelices, qui ira & effrenata vindictæ vos cu-  
 piditate transuorsum rapi finitis. neq; enim cœlū  
 vlla ad vos ratione spectat: Certum namq; est fu-  
 rias ac quidquid ad rabiem spectat tartara incole-  
 re, benignitatem vero ac mansuetudinem cœlorū  
 inquilinas esse. Quantum porro malum sit chole-  
 ra, quantumq; animam commoueat, non existi-  
 mo hic necessarium pluribus exponere, præsertim  
 cum ex verbis Prophetæ Iob, *De naribus eius ascendit* Job. 4.  
 fumus

Ollæ fer-  
uenti cho-  
lera com-  
parata est.

*dit fumus ollæ succense*, satis id manifestum reddi-  
tur, quib. iratum ollæ feruenti comparat, cum  
nim ollæ propter subiectum ignem feruet, quid-  
quid in imo est sursum ascendit: calor quippe qui  
subtus operatur, fæces, sordes, & quidquid in fundo  
latebat exferit, quod aqua æstuantem minime videtur  
poterat. Ira quoque dum animus ira & furore effre-  
uescit, ignis ebullientis cholæræ superimpofitus  
est, omnia interiora concitantur & altum petunt,  
blasphemiarum ore euaporant, iniuriarum prodeunt, & quod-  
quid fæcis, spumæ, sordium in animo delitefcit foras  
gestit erumpere: adeo ut quando aliquem furere  
& cholera succensum videmus, illud Ieremiarum me-  
rito dicere possimus: *Ollam succensam ego video.*

*Ierem. I.*  
Cholera  
grandini  
compara-  
ta.

Alij vehementem hunc furorẽ grandini a simi-  
lant: quemadmodum n. grando impressio quædam  
meteorologica est, quæ in aëris regione nascitur, &  
dum in terram delabitur, tanto impetu decidit, ut

*Sternat agros, sternat sata lata, boumq; labores:*  
non secus quoque ira; quæ impressio quædam ani-  
mæ est, in parte irascibili efformata, dum in terram  
conscientiarum alicuius ingruit, omnia destruit, dissi-  
pat, stragemque illi non exiguam edit; adeo ut de  
cholericis illa scripturæ verba usurpare liceat. *Ignis  
grando, nix, glacies, spiritus procellarum pars calicibus  
rum,* ac veluti in temperata quadam regione rarissi-  
ma est grando; ita & in anima suaui ac benigna  
cholera rarissime locum habet.

*Psal. 148.*

Olympus  
mons grā-  
dinem nõ  
experitur.

Docent rerum naturalium inuestigatores Olym-  
pum montem, qui omnium montium facile princeps est  
à fulmine, turbinibus, procellis, & grandine non  
impeti. Docemur occulto hoc naturæ arcano sub-  
limes & heroicis animos, quales mites sunt & pa-  
cifici, fulminantibus illis passionibus iræ obnoxios  
non esse, à procellis iracundiæ remotissimos, & à gran-

grandine æstuantis furoris nimium quantum alienos; ac proinde mites & benignos ex Euangelij sententia vere mites pronunciari, in quam rem figuras producam.

Grando illa Ægyptia, qua nulla maior vnq̄ ante *Exod. 9.* vehementior fuit, omnia in Ægypto cōminuit & euertit, pecora & armēta interemit & segetes per vniuersum regnū pessū dedit. at in terra Gessen, in qua Israelitæ habitabāt, nulla prorsus grando apparuit, & cū ōnes circūquaq; vicini tristi hoc casu affligerētur, minima hæc terre portio immunis māfit. Peregregia fane allegoria. Per Ægyptū hāc iracūdos intellige, qui densis nebulis & spissis vaporibus oppleti, facillimè se à cholera extra animę statū abripi sinūt, q̄ instar grandinis omnes partes illas vitales, quæ in irascibili & concupiscibili sunt, euertit ac destruit, & eadē simul opera ōnes virtutes & merita, quę in animæ agro reperiuntur, quæ eiisdē quodāmodo segetes & messis sunt, demolitur; at in terra Gessen, per q̄ pacifici anima, benignitati assueta denotatur, nullā vel minimā perniciem causat: ita vt vniuerso iracundorū horū Ægyptiorū regno grandine hac vastato, solus angul⁹ Gessen, qui mansuetorum ac placidorum typus est, ab eadem tutus sit & immunis. Hinc non iniuria iuxta Euangelium dicimus, *Beati mites.*

At quoniā similitudines magnā apud omnes vim *Matth. 5.* habere solēt, aliā adhuc domi mex natā, pducam. Ita turbini *confertur.* Dico itaq; irā & furorē similē esse turbini cuidani vehementi, quantū è verbis Ezech. colligi potest, *Ezech. I.* *Iob. 1.* Ecce ventus turbinis venit ab aquilone; at turbini qui hoc ipsum in anima Christiani, q̄ olim domui Iob factū est, operari cōsuevit. Tradit namq; scriptura, ventum quendā è deserto repente excitatū, tanto impetu ac vehemētia domū viri sancti concussisse vt qua-

vt quatuor angulis eiusdem loco motis ipsa ad terram conciderit, miseraq; ruina cunctos eius liberos oppresserit. Per infelicem hanc domum, hominis animam designari autumo, quæ quatuor columnis innixa, quatuor inquam virtutibus cardinalibus à violento illo iræ turbine, qui ex infernali abyssu repente confurgit, tanto nonnumquam impetu vadequaq; concutitur, vt ad terram concidat necesse sit, suoq; casu omnia simul bona & liberos eius virtutes sc. pia opera, ac merita inuoluat. Vbi enim vehemens hæc dominatur passio, & iracundia sæuitiam & tyrannidem exercet, omnia concidant & pereant necesse est. Cogitate igitur vobiscum, an non ira vere scelestæ quædam sit rabies, & an mansuetudo heroica quædam virtus sit, & an merito inter octo beatitudines à Domino constituantur: atq; num vna è vijs sit, per quas dum eas animæ insistent, recta cœlestem Patriam & iucundissimam Sanctorum societatem perueniunt.

Ad priores hæc vias tertia accedit Patientia & afflictionum æquanimis tolerantia, quæ vere via quædam regia est, per quam compendiosissime simul & expeditissime ad regnum cœlorum tenditur, & quam insistere adeo necessarium est, nulla vt ad gloriam peruenerit anima, quæ hanc viam non prius calcarit. Ita namq; id Apostoli auctoritate sua tradiderunt, *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum*: & deinde singillatim Paulus, *Hoc leue tribulationis nostra immensum gloria pendus operatur in nobis*. Id ipsum & Angelus Ioanni in Apocalypsi viuo exemplo demonstrauit, cum ei plurimas bellatorum turmas, victorijs nobiles, ac palmas manibus gestantes, & vestibus agni immaculati sanguine tinctis indutas ostenderet, quæ hoc elogio condecorauit: *Hi sunt qui venerunt de tribulatione*.

Patientia  
in tribulationibus  
via est per quam ad gloriam  
peruenitur cœlestem.  
Actor. 14.  
2. Cor. 4.  
Apocal. 7.

de tribulatione magna. Quin & ante hos omnes pu- *Matt. 5.*  
 blice Saluator noster docuerat, *Beati qui persecutio-*  
*nem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est*  
*regnum caelorum.*

O igitur omnibus votis exoptandæ persecutio-  
 nes, quas tã ampla mercede compensat Omnipoten-  
 tens! ò auro redimendæ afflictiones, quæ cœlestē  
 gloriã in præmium recipietis! Docuit id me Do-  
 ctor gentiũ Paulus, qui in nulla re alia præterquam  
 in cruce Domini, quæ Christianarũ tribulationũ  
 symbolũ est, gloriatur & triumphat, *Absit mihi, in-* *Gal. 6.*  
*quit, gloriari nisi in cruce Domini nostri* perinde ac si  
 diceret, Glorientur mundani in diuitijs, in omni-  
 scia rerũ cognitione Philosophi, Reges in sceptris  
 & diadematis: equidē aliud non quærã aut ambiã,  
 quam crucem Domini mei: illa futura est mihi ho-  
 nos, voluptas, vnica mea gloria ac triumphus. Per-  
 spectum namq; habeo, quid sit crux, & quantum  
 boni contineant tribulationes, noui, præsertim  
 cum per easdem ad gloriam perueniatur.

Magnus ille Patriarcha Iacob quamdiu caput in *Gen. 28.*  
 lapidem reclinatum habebat, mirabilem illam ac  
 prodigiosam scalam conspexit, per quam Angeli è  
 cœlo deorsum & è terra sursum ascendebant, cu-  
 iusq; extremitates cœlum cum terra copulabant.  
 Denotabat hoc nos, quamdiu tribulationum la-  
 pides capitibus nostris subiecti sunt, quamdiu su-  
 per nudam membra extendimus, quamdiu perse-  
 cutiones sustinemus propter iustitiam, Angelorũ  
 visione recreari, cœlitum conspectum & scalam,  
 per quam ad gloriam ascendimus, promereri. Me-  
 rito igitur in Euangelio Dominus, *Beati qui persecu-*  
*tionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est*  
*regnum caelorum.*

Iterum igitur exclamo, ò persecuciones super au- *Matt. 5.*  
 rum

rum & topazion diligendæ, quæ beatitudinem æquanimiter vos ferentibus, affertis, & cœlestem mercedem promeremini! quibus solis, uti & voluntati paupertati regnum cœlorum promissit Dominus. Pacificis quidem & mitibus terre possessio, lugentibus solatium, misericordibus & benignis in pauperes reciproca misericordia, esurientibus iustitiam saturitas promittitur, sed parentibus & pauperibus spiritu gloria nullo unquam tempore finienda. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*, ac deinde, *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*, utrinque legimus coronas, utrinque coronas, utrinque regna eaque afflictiis parentibus & pauperibus. Anne scire vultis curiosi rerum investigatores, cur his duabus potissimum beatitudinibus tam magnificentum tamque amplum Deus premium proposuerit? dicam. Prudentem hic Christus patrem familias videtur imitatus, plures habentem filias, quarum non æqualis omnium sit pulchritudo, qui cum æquo singulas amore prosequatur, deformioribus tamen maiorem & ampliorē dotem assignat, quibus pulchritudinem natura contulit, quo illi citius honesto matrimonio copulatur. Testis huiusmodi rei sit Laban, qui cum duas haberet filias, sippientem unam nomine Liam, & alteram venustate insignem, cui nomen Rachel, turpiori laetiorē dotē dedit; ita ut quæ impares forma, essent & dote. Id ipsum penitus Pater facit cœlestis: cum enim octo habeat filias, cœlestes inquam filias, octo nimirum beatitudines, easque hominibus matrimonio velit nungere. Paupertati & tribulationum tolerantia, quæ mundanorum oculis ceteris videntur deformiores, cœlestem gloriam velut in dotem constituit; cuius matrimonij tabulas ipsaque contractus verba huc adducam: *Beati pauperes spiritu, & beati qui persecutionem*

Matth. 5.

Luc. 6.

Insignis  
conceptus.

Gen. 29.

tionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est *Supra.*  
regnum caelorum.

Massagetis gentib. immanitate barbaris solenne *Laudabi-*  
erat, omnes quotannis filias nobiles, & simul etiā *lis Massa-*  
adolescentes, qui easdē ducerent, vnū in locū con- *getarum*  
gregare: tum adolescentes, qui alicui<sup>9</sup> puellæ pul- *consuetu-*  
chritudine capti erant, eandē magna auri vi sibi in *do.*

vxorem redimebant, q̄ ipsum deinde deformib. in *Diaz in fe-*  
dotē dabatur, vt & illę hac sibi ratione maritos cō- *rib. aurū*  
pararēt, adeo v: pulchris pulchritudo, deformio- *maritos cō-*  
rib. aurū maritos cōciliaret. Idē omnino hic in be- *Idē omnino*  
atitudinū suarū enumeratione facit Christ<sup>9</sup>, de for- *hic in be-*  
mes nēpe filias, hominumq; oculis displicētes per- *SS. om-*  
secutionū patiētīā ac paupertatē voluntariā ducē- *nium & de*  
tib. amplissimā mercedē pollicetur. Hęc autē eius- *Vega in*  
dem pollicitatio est: *Beati pauperes spiritu, & beati qui*  
*persecutionem patiuntur propter iustitiā, quoniam ipsorum*  
*est regnum caelorum.* Audistis iā vias tristissimas, Au- *ser, de S.*  
ditores, per quas ad salutē peruenitur, vidistis pla- *Sebast.*  
nas illas semitas, quas omnes Sancti, quorū omniū *Supra.*

vnā & generalē memoriā agimus, calcādo, ad eter-  
nam tandē beatitudinē pertigerūt: vestrū vero est  
eosdem q̄ proxime sequi. Currite igitur in odorem  
tot strenuorū athletarum, virtutes eorum & facta  
heroica imitami, eorū vos vitę cōformes ac me-  
ritorū capaces reddite: hac namq; p̄sertim de cau-  
sā eorū nobis festiuitatē Ecclesia p̄ponit, cuius rei  
varias sacre nobis litterę figuras subministrant.

Fusile illud mare, q̄ fecit olim in Dei honorem  
Moses, singulare inter cætera hoc habebat, q̄ du-  
plex in eo sculptarum striatarū ordo appareret, &  
ipse quidē futilis. Ingēs illud vas in maris similitu- *3. Reg.*  
dinē efformatū Ecclesiā denotabat; illę porro scul- *pture SS. exēpla & imagies q̄ ad imitādū potissimū*  
nobis p̄positi sūt, vt quib. illi vijs q̄busq; rationib.  
ad tan-



ad tantam gloriã peruenerint, hinc colligeremus. erat porro sculpturarum harum ordo duplex, quo Sanctos & veteris & noui simul testamenti melius nobis ostenderet, eorum imagines ut intueretur, virtutes etiam Sanctarumq; opera imitaremur.

Num. 13.

Moses Dux ut Hebræos, qui Ægypti ollas nuntiam quam non spirabant, ad terram promissionis arboribus sibi parandam magis accenderet; exploratores aliquot in totius populi conspectum produxit, qui varia fructuum genera, velut quoddam inaudita fertilitatis specimen populo demonstrarent. Magnus ille regum Rex Christus, & Ecclesia sancta, quæ eiusdem hic vices supplet, non imprudenter mihi videntur fecisse, cum ut hominibus ad mundi huius Ægyptum semper anhelantibus, veræ promissionis terræ desiderium excitarent, omnes illis hodie Sanctos producit, qui omnes regni cœlestis explorarunt, variasque virtutes, qui veri quidam regni illius fructus, euidentia gloriæ indicia, & luculenta numquam visæ vel audita fertilitatis argumenta sunt, secum deferunt. Tertiam adhuc post duas hasce sacras è gentium monumentis producam historiam.

Lacedæmoniorum in iuuentute ad virtutem excitanda. De Vega in Paradiso Sancto.

Lacedæmonij ut iuuentutem ad maiorum suorum imitationem accenderent, omnes omnium fortissimorum virorum heroumq; tam eorum qui domi, quam qui bello claruerant, imagines in senatum in ære, vel marmore ad viuum expresserant, hoc adiuncto epigrammate, *si fueritis sicut isti, eris sicut isti*. Laudabile hoc Spartanorum factum sanctius interpretatus dico, Ecclesiam hodierna die id ipsum prorsus facere: omnes enim Christianos excitare dum satagit, ut vitam ad instar maiorum suorum agant, eorumq; vestigijs gnauiter insistant, diuersa ijs Sanctorum genera, Apostolos nimirum, Marty-

Martyres, Confessores, Virgines, antiquos illos dico heroes & heroinas, qui fortitudine sua & rebus strenue gestis immortalis gloriae coronam adepti sunt, ob oculos ponit, & iisdem nos verbis alloquitur; Si tales fueritis meritis, quales Sancti hi fuerint, quorum iam diem colitis, eritis & tales gloria, quales modo illi. Apostolus vero Paulus id ipsum nobis proponit, sed alijs plane verbis: *Si compatimur, & conregnabimus.* Atque in hunc sensum & hodiernum Euangelium, & praesens haec concio finem accipient; *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis.* 2. Tim. 2.  
Matth. 3.

In hoc porro gratiam tuam nobis elargire, o omnium Sanctorum Sancte: vosque eandem vestris ab illo precibus obtinete o Sancti caeli incolae, Angelorum socij, ac summi Dei amici; vos inquam, quorum hodie festiuitatem facimus, quos inuocamus, imploramus adoramus, non quidem ut aliquos Deos, sed ut fideles summi Patris ministros. Hoc obsecro nobis ab aeterna illa maiestate exorate, in hoc preces vestras interponite; votis nostris & desiderijs annuite; & orationib. nostris benignas aures accomodate. Nolite vero imitari ingratum illum Pharaonis pincernam qui erga stulo solutus & e Rege suo in pristinum dignitatis locum sublimatus, captiui Ioseph oblitus est, qui eidem tamen cum illo carceri inclusus fuerat. Vos autem Sancti gloriosi, qui nostri olim in paenis & afflictionibus socij exstitistis, qui eodem, quo nos modo, carcere clausi fuistis, hanc ingratitude & inhumanitatem nolite imitari. O ter beati Sancti, qui felici Zephyro afflato, optatum in terra uiuentium portum intraistis, nostri quaeso nolite obliuisci, qui in procelloso hocce mari plurimis obnoxij casibus adhuc fluctuamus, qui ad eundem portum Gen. 40.

D tura

De S S. tom. 1.

tum aspiramus; cursum nostrum dirigite, ut per-  
tissimi nauæ in tempestatibus nobis affulget, et  
exoptatæ cynosuræ, lumen nauigantibus præbet  
& lucidissimæ lampades, felices Viatores, qui post  
tot confectâ itinera in patriam tandem peruene-  
stis; cum nos miseri hic etiamnum peregrinamus  
licet interea dum in terra hac exilij versamur ad  
perpetuam hoc quietis domicilium aspiremus; con-  
ducite nos, dirigite iter nostrum, vias nos edocent  
per quas ambulantes peregrinationem nostram  
peragamus. Sed ô Sancti felicissimi iterum nobis  
mementote, pro nobis intercedite & quoniam ani-  
mæ, in Purgatorio adhuc detinētur, & oculos suos  
in vos & nos etiâ conijciunt, vestraque suffragia,  
simul nostra efflagitant; nostra vestris vota con-  
iungimus, proque ijs vnanimi oratione, vestra glo-  
ria valedicentes, dicimus, *Requiescant in pace.*

IN FESTO COMMEMORA-  
TIONIS OMNIUM FIDELIUM  
Defunctorum.

*Requiem eternam dona eis Domine, & lux perpetua  
ceat eis.*

FIGURA.

2. Reg. 1.

Felix ille Princeps Dauid, qui ex humili ouium  
pastore ad sceptrum Iudæe euectus est, aucto  
fortissimos Israel vna cum Saule & Ionatha in  
montibus Gelboe occubuisse, lachrymabundus,  
ac suspirans, suos omnes ad ieiunia, suspiria, & li-  
menta inuitabat, singultuque verba interrumpere  
huiusmodi lesso defunctorum miseras deplora-  
bat; *Considera Israel pro his qui mortui sunt super excel-  
sa tua vulnerati: Inclyti, Israel, super montes tuos inter-  
fecti sunt: quomodo ceciderunt fortes? Quomodo ceciderunt  
fortes*